BIBLIOTHECA
MANUALIS
ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

Illorum vitæ, & geſtorum breviarium: Operum Synopſim: Illuſtriora teſtimonia Dogmata, Mores, Diſciplinam ſpectantia, & ſelecta Vitæ ſpiritualis documenta.

OPUS

GALLICE EDITUM

A D. PETRO JOSEPHO TRICALETIO

PRESBYTERO, ET DOCTORE IN UNIVERSITATE VESONTIENSI,

LATIO DONATUM

NOTISQUE BREVIORIBUS ILLUSTRATUM

AB EUDOXIO PHILENIO S.T. PROFESSORE.

TOMUS NONUS

Continens ſelecta SS. Patrum Axiomata, & Indicem generalem.

BASSANI, MDCCLXXXIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

MONITUM
IN EDITIONE GALLICA
Tomo VIII. præmiſſum.

PIUS eruditusque hujuſce Bibliothecæ Auctor animo conſtituerat totum laborem ſuum in Analyſi contexenda præcipuorum Operum SS. Patrum ab Apoſtolorum ævo uſque ad S. Bernardum incluſive, præcedentibus ſeptem Voluminibus concludere. Verum publico ac communi deſiderio & ſtudio, quo a Piis excepta fuit hæc ejus complexio, ulterius illam extendere operæ pretium duxit. Non defuere ſiquidem qui illi animadvertendum propoſuere, ſe novum & quidem magnum præſtiturum fidelium cœtui beneficium, ſi Operi ſuo jam completo, nec ſine laude, & plauſu ſuſcepto, novam Axiomatum & Sententiarum SS. Patrum ad moralem præſertim doctrinam ſpectantium adderet Collectionem; cui conſilio libenter acquieſcens eorum deſiderio ac petitioni ſatisfacere non recuſavit, & hoc novo labore implevit. Porro nullus eſt Religionis ſtudioſus, illiuſque dogmata, & doctrinam ſciendi ſequendique cupidus, qui non ſtatim percipiat poſt divinarum Scripturarum lectionem, quæ certe quotidiana foret habenda, nihil utilius, nihil jucundius Ec-

clesiasticis præsertim Viris occurrere, quam SS. Patrum moralia Opera nocturna versare manu, versare diurna. Et revera SS. Patrum doctrinæ & documenta adeo clara sunt, splendida, & solida, ut omnium mentes animosque sua luce & splendore percellant, commoveant & convincant; ipsi siquidem sunt a Deo electi ac positi custodes & præcones Testamenti Filii sui, & totius humani generis Magistri atque Doctores, quorum proinde sententiæ doctrinæque non sunt veluti privati hominis sensa, sed ceu ratæ & firmæ veritates & placita universalis Ecclesiæ, quæ a Spiritu S. edocta divinum Oraculum est constituta ad omnem enuntiandam veritatem. In his omnis cœtus, omnis ætas, omnisque sexus quæ suæ sint vitæ munia, quid agere, quid cogitare debeat, gravissimis etiam occurrentibus ambagibus, facile agnoscit & percipit. Quæ itaque hic collecta exhibemus Axiomata & Sententiæ, ipsissima omnino sunt, quæ in Patrum scriptis dispersa continentur, & licet maxima ex parte hæ Sententiæ breves sint; nulla tamen est quæ aliquam non exhibeat mentis oculis veritatem, quam ignorare res foret plena periculi. Si itaque ad omnes dirigendos fideles quam maxime conducunt, certo certius polliceri possumus Concionatoribus, animarumque Rectoribus, qui eas sollicito animo retinuerint, attenta expenderint meditatione, & tamquam spirituali esca se enutrierint, fore ut nunquam evanescant in suis cogitationibus, sed puram nudamque annuntiabunt veritatem, animasque suæ curæ a divina Providentia commissas per tutam salutis semitam incedere docebunt, &

veluti

veluti manuducent. Poterat utique Auctor abundantiorem doctrinarum, & Axiomatum numerum adglomerare, cum Patres sint fontes fœcundi & perennes: verum animadvertendum, ut monet clarus Scriptor (1), *hanc Bibliothecam Manualem esse, in qua omnia propterea sunt compendiose enuntianda*: cæterum plusquam satis erunt, si Deus gratiam largiatur illis bene utendi, ad offusas menti dissipandas tenebras, ad nostram fulciendam infirmitatem, & ad nos revocandos ab illa perditionis via, quæ a possessione nos elongat summi illius Boni, ad quam unice tendere debemus, & ad eam strenue calcandam, quæ ad illius consecutionem tutissime perducit.

(1) R. P. Berthierius in Ephemeridibus Trivultianis Februarii anni 1762. pag. 525.

HOC TOMO NONO CONTINENTUR

SELECTA AXIOMATA,

SIVE SENTENTIÆ.

SELECTA AXIOMATA PATRUM ECCLESIÆ

AD

MORES ET ASCETICAM VITAM SPECTANTIA.

CAPUT PRIMUM.

SELECTA AXIOMATA

S. IGNATII

Apoſtolorum diſcipuli, Epiſcopi Antiocheni, & Martyris (a).

S. Ignatii.

Virtus Orationis communis.

I. NEMO erret: niſi quis intra altare ſit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet, quanto magis illa, quæ Epiſcopi eſt & totius Eccleſiæ? Qui igitur in conventum non venit, hic jam ſuperbia elatus eſt, & ſe ipſum ſeparavit atque judicavit. Scriptum eſt enim: *Superbis Deus reſiſtit*. (*S. Ignat. Epiſt. ad Epheſ.*)

Utilitas boni exempli. Manſuetudo & patientia chriſtiana.

II. Permittite ipſos ſaltem ex operibus a vobis erudiri. Sitis vos adverſus iras eorum mites, adverſus magniloquentias eorum humiles: eorum maledictis opponite vos preces; adverſus errores eorum vos firmi permanete in fide; adverſus efferos mores illorum vos manſueti ſitis; non ſtudentes eos imitari; fratres eorum inveniamur per benignitatem: imitatores autem Domini ſtudeamus eſſe: unuſquiſque majorem injuriam patiatur, unuſquiſque defraudari ſe ſinat, unuſquiſque contemni. (*Ibidem.*)

Sola gratia verum efficit chriſtianum.

III. Non perſuaſionis opus, ſed magnitudinis eſt Chriſtianus. (*Epiſt. ad Rom.*)

Ardor ingens martyrii.

IV. Obſecro vos ne intempeſtiva benevolentia erga me ſitis. Si-

 nite

(a) S. Ignatius in Sede Antiochena Evodio ſucceſſit anno 68. & martyrium ſubiit Romæ anno 107. tempore Trajanicæ perſecutionis ad beſtias damnatus in Romano Amphiteatro.

S. IGNATII.

nite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci. Frumentum sum Dei, & denribus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar; blanditiis demulcete potius feras, ut mihi sepulcrum fiant, & nihil de corpore meo relinquant; ne cum obdormiero, molestus cuiquam inveniar. Deprecemini Christum pro me, ut per hæc organa Dei efficiar hostia. (*Ad Rom.*)

Idem.

V. Utinam fruar bestiis mihi paratis; quas & opto veloces mihi inveniri; quas & blanditiis demulcebo ut me citius devorent; non ut quosdam veritæ non attigerunt: sed & si ipsæ volentem nolint, ego vi adigam. Ignoscite mihi: quod mihi utile sit, ego novi... ignis, crux, ferarum concursus, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis contritiones, mala diaboli tormenta in me veniant; tantummodo ut Jesum Christum nanciscar. (*Ibidem.*)

Solus Christus est a vero ejus discipulo quærendus.

VI. Nunc vinctus disco nihil concupiscere... nunc incipio discipulus esse; visibilium & invisibilium nihil expectans, ut Jesum Christum assequar. (*Ibidem.*)

Vehemens desiderium patiendi pro Christo.

VII. Ignoscite mihi fratres, ne mihi impedimento sitis, quominus vivam, ne me velitis mori; cumque cupiam Dei esse, per mundum ne separetis me, neque per materiam seducatis; sinite me purum lumen haurire: cum illic fuero, homo ero. Sinite me imitatorem esse passionis Dei mei... neque si ego præsens secus vos obsecrem, obtemperetis mihi; verum his potius credite quæ vobis scribo, vivens enim scribo vobis, amore captus moriendi: meus amor crucifixus est: & non est in me ignis amans aquam aliquam, sed vivens & loquens in me, intus mihi dicit: veni ad Patrem, non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ; panem Dei volo, qui est caro Jesu Christi, ex genere Davidis. (*Ad Roman.*)

Hæretici habentur qui realem J. C. præsentiam in Altari negant.

VIII. Ab Eucharistia & oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. (*Epist. ad Smyrn.*)

CA-

CAPUT II.

SELECTA AXIOMATA

S. IRENÆI

Episcopi Lugdunensis, Martyris & Ecclesiæ Doctoris (a).

S. IRENÆI.

I. CHRISTUS Dominus propter immensam suam dilectionem factus est quod sumus nos, ut nos perficeret esse quod est ipse. (*Adv. hær. Lib.* 5.)

Utilitas & necessitas Incarnationis J. C.

II. Quemadmodum lignum vitis depositum in terra, suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit, per spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei Eucharistia fiant, quod est Corpus & Sanguis Christi: sic & corpora nostra ex ea nutrita & reposita in terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore: Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris. (*Ibidem.*)

Comparatio Eucharistiæ cum resurrectione corporum.

III. Quemadmodum Eva per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita & Maria per Angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo; uti virginis Evæ, Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, solvatur per virginem; æqua lance disposita virginalis inobedientiæ, per virginalem obedientiam. (*Ibidem.*)

Obbedientia Virginis reparavit inobedientiam Evæ.

IV. Ubique Ecclesia prædicat veritatem, & hæc est ἑπτάμυξος, lucerna, Christi bajulans lumen. Qui ergo relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus, a blasphemo & impudente sophista. (*Ibidem.*)

Ecclesia omnibus visibilis. In ea solum veritas quærenda.

CA-

(*a*) S. Irenæus discipulus fuit S. Polycarpi Episcopi Smyrnensis in Asia, in Gallias venit, & fuit secundus Episcopus Lugdunensis. Martyr obiit anno 178.

CAPUT III.

SELECTA AXIOMATA

S. CLEMENTIS,

Alexandrini Presbyteri, & Ecclesiæ Doctoris (a).

S. CLEMEN.

J. C. est via arcta ducens ad Cælum.

I. QUOMODO cælos conscendam? via est Dominus, angusta quidem, sed ex cælis: angusta quidem, sed quæ mittit ad cælos. (*Admon. ad gentes.*)

Cibi usus ad vitam sustentandam.

II. Deus paravit suo opificio, homini inquam, cibum & potum, ut conservetur, non autem ut voluptate afficiatur. (*Pædag. Lib.* 2. *cap.* 1.)

Modestia in fœmineo vestitu.

III. Nullo modo permittendum est mulieribus, ut quid corporis minus opertum ostendant viris, ne ambo prolabantur: hi quidem ut qui ad videndum incitentur; illæ vero ut quæ in se virorum intuitum attrahant. Semper autem, tamquam præsente Domino, honeste versandum est. (*Ibidem cap.* 2.)

Scurrilitas christiano indigna.

IV. Non debemus sponte ridiculam assumere personam: multo autem magis est cavendum, ne in verbis esse & videri ridiculi velimus. (*Ibid. cap.* 5.)

Adversus irrisionem.

V. Absit ut irrideamus quemquam; unde primum incipit contumelia, inde lites, pugnæ & inimicitiæ erumpunt. (*Ibidem, cap.* 7.)

Adversus unguenta.

VI. Oportet viros apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem. Spiret autem fœmina Christum qui est regalis unctio, non unguenta: divina autem semper ungatur pudicitiæ unctione, sancto delectata unguento, nempe spiritu. (*Ibid. cap.* 8.)

Contra pompas & ornatus mulierum.

VII. Fœminarum ornatum abesse Paulus jubet. Si enim sunt pulcræ, sufficit natura: non contendat ars contra naturam: hoc est, fraus minime litiget cnm veritate. Sin autem sint natura turpes; ex iis quæ sibi applicant, quod non habent, arguunt. Eas ergo, quæ Christo serviunt, frugalitatem convenit amplecti. (*Ibidem cap.* 10.)

Modestia christiana.

VIII. Oportet domi quidem parentum & famulorum pudore affici; in viis autem, eorum qui fiunt obviam; in solitudine, sui ipsius;

(*a*) Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, & Origenis Magister, floruit sub finem secundi sæculi, & obiit circa annum 220. *Nota*. Minime inter Sanctos & Ecclesiæ Doctores connumerandus. Legatur in Romano Martyrologio Bulla sapientissimi Pontificis Benedicti XIV.

ipsius; ubique autem, Verbi quod est ubique, & *sine ipso factum est nihil*. Hac enim solum ratione fit, ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet. (*Lib.* 3. *cap.* 5.)

[redacted]
S. BERNAR.

Adversus Theatra.

IX. Non inconcinne theatra *pestilentiæ cathedram quis* vocaverit .... & ideo maledictis devovetur quæ ibi fit congregatio. Magna itaque confusione & iniquitate hi cœtus pleni sunt, & occasio conventus causa est turpitudinis .... Prohibeantur ergo spectacula & acroamata, quæ nequitia, verbisque obscœnis, & vacuis temere profusis, plena sunt. Quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? quod verbum impudens non proferunt qui risum movent scurræ & histriones? (*Ibidem*.)

Bona vita Martyrium.

X. Si quæ est apud Deum confessio, est martyrium; quæcumque anima se pure & sincere gessit cum agnitione Dei, & præceptis paruit, vita & sermone est testis & martyr; quomodocumque liberetur a corpore; fidem tamquam sanguinem per totam vitam etiam in exitu profundens. (*Stromatum Lib.* 4.)

Jungenda cum hilaritate modestia.

XI. Qui Deo jungitur, simul quidem gravitatem & hilaritatem ostendit in omnibus, gravitatem quidem, propterea quod ad Deum se convertat: hilaritatem autem propterea quod humana bona reputet, quæ dedit nobis Deus. (*Ibid. Lib.* 7.)

In omni loco & tempore de Deo cogitandum.

XII. Est omnis locus vere sacer & sacrum tempus, in quo Dei accipimus rationem & cogitationem. (*Ibidem*.)

CA-

CAPUT IV.

SELECTA AXIOMATA

TERTULLIANI

Presbyteri, & Ecclesiæ Doctoris (a).

S. BERNAR.

Christianus in mundo pati, in cælo gaudere debet.

I. NIHIL illa religio de causa sua deprecaretur, quia nec de conditione miratur. Scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire. Cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cælis habere. (*Tertull. in Apolog. adv. gent.*)

Unio fidelium in antiqua Ecclesia. Preces & disciplina.

II. Corpus sumus de conscientia religionis & disciplinæ unitate, & spei fœdere: coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. (*Ibid. cap.* 39.)

Fortitudo in tormentis.

III. Cruciate, torquete, damnate, & atterite nos: probatio est enim innocentiæ nostræ, iniquitas vestra. (*Ibid. cap.* 50.)

Christianorum erga Reges officia.

IV. Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur & honoret & salvum velit... Colimus ergo imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo consecutum, solo Deo minorem. Hæc & ipse volet. Sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est. (*Ad Scapulam. cap.* 1.)

Deo simpliciter sine examine parendum.

V. Audaciam existimo de bono divini præcepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit, ad exhibitionem obsequii, prior majestas Imperatoris, quam utilitas servientis. (*Lib. de Pœnit.*)

Dæmon se fugientes insequitur.

VI. Pervicacissimus hostis ille, numquam malitiæ suæ otium facit, at quin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. (*Ibid.*)

Vera patientia ex operibus, non ex verbis pensanda.

VII. Hujus pœnitentiæ secundæ quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur: is actus *Exomologesis* est, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia, Deus placatur. (*Ibid.*)

VIII.

(*a*) Tertullianus Ecclesiæ Carthaginensis Presbyter tertii sæculi initio floruit, in existimatione fuit suo ævo ob ingenii sublimitatem & in dicendo robur. *Quid Tertulliano eruditius?* (scribit S. Hieronymus) *vir erat acris & vehementis ingenii*, obiit, ut creditur, anno 245. & quidem longævus. *Nota*. Abiit tamen ut inter Ecclesiæ Doctores connumeretur, cum de eo scribat S. Hieronymus, *Ecclesiæ hominem non fuisse*.

VIII. Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit: & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adoptione non dubites. (*Ibid. cap.* 12.)

Timor gehennæ ad pœnitentiam impellit.

IX. Petendo *panem quotidianum*, perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem a corpore ejus. (*Lib. de Orat. c.* 6.)

Quem panem a Deo petamus in Oratione dominica.

X. Absolute præcipitur malum malo non rependere, par factum par habet meritum .... quem autem honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus? (*Ibidem cap.* 10.)

Ultio vetita christianis soli Deo reservata.

XI. Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur licet audire, quæ loqui non licet? cum etiam scurrilitatem & omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus; cur æque liceat videre, quæ facere flagitium est? cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admissa non videantur hominem communicare? cum spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur. (*Lib. de Spect. c.* 17.)

Adversus mimorum scurrilitates.

XII. Opus personarum, quæso, ut Deo placeat, qui vetat omnem similitudinem fieri, quanto magis sui? (*Ibid. cap.* 23.)

Adversus personas.

XIII. Nihil ex his quæ Spectaculis deputantur placitum Deo est; aut congruens Dei servis quod Domino placitum non sit. (*Ibid. cap.* 24.)

Spectacula pompæ Diaboli in Baptismo abrenuntiatæ.

XIV. Sint dulcia licet & grata, & simplicia, etiam honesta quædam, nemo venenum temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis & bene saporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit. Ita & Diabolus lethale quo conficit, rebus Dei gratissimis & acceptissimis imbuit. Omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu subtilia, proinde habe stillicidia mellis de libacunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum. (*Ibidem, cap.* 27.)

Comediæ eo perniciosæ quo modestæ videntur.

XV. Delicatus es, Christiane, si & in sæculo voluptatem concupiscis; imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. (*Ibidem, cap.* 28.)

Nulla Christiano voluptas in mundo.

XVI. *Reddite*, ait, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*: id est imaginem Cæsaris, Cæsari, quæ in nummo est; & imaginem Dei Deo, quæ in homine est: ut Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum. (*Lib. de Idololatria, cap.* 15.)

Quænam Deo reddenda, quænam Regi.

XVII. Qui præsumit, minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est. Præsumptio impedimentum timoris..... Timendo cavebimus, cavendo salvi erimus. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem: & qui sollicitus est, is vere poterit esse securus. (*Ibidem*)

Qui minus timet, magis periclitatur.

XVIII.

TERTULL.

Uxor christiana quomodo viro placere debeat.

XVIII. Vos solis maritis vestris placere debetis. In tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaveritis. Securæ estote benedictæ. Uxor nulla deformis est marito suo.... Neque vestrum putent, si temperaverint a compositione sui, odium & aversionem maritorum persecuturas. Omnis maritus exactor castitatis est. Formam vero fidelis non spectat, quia non iisdem bonis, quæ gentiles putant, capimur. (*De cultu fœmin. cap.* 2.)

Pompæ mundanæ criminosæ.

XIX. Propter conventum & mutuum videre & videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negocietur, aut gloria insolescat.

Mulier christiana non solum casta sit, sed appareat.

XX. Pudicitiæ Christianæ satis non est esse; verum & videri. Tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet ab animo in habitum, & eructet a conscientia in superficiem: ut & foris inspiciat quasi supellectilem suam, ut conveniat fidei continendæ in perpetuum. Discutiendæ enim sunt deliciæ, quarum mollitia & fluxu fidei virtus effeminari potest. (*Ibid. cap.* 13.)

Connubii christiani nobilitas, & felicitas.

XXI. Unde sufficiam ad enarrandum felicitatem ejus matrimonii quod Ecclesia conciliat & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet? Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi. Simul orant, simul jejunia transigunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes. In Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pariter. In angustiis, in refrigeriis, neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est; libere æger visitatur, indigens sustentatur. Eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento. Non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio: sonant inter duo Psalmi & Hymni; & mutuo provocant quis melius Deo suo canet, talia Christus videns & audiens gaudet. His pacem suam mittit. Ubi duo, ibi & ipse: ubi & ipse, ibi & malus non est... Non aliter fidelibus licet nubere, & si liceret, non expediret. (*Lib.* 2. *ad uxor. cap.* 5.)

Præscriptio adversus hæreses.

XXII. Solemus hæreticis, compendii gratia, de posteritate præscribere. In quantum enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreses pronuntiavit, in tantum posteriores quæque doctrinæ hæreses præjudicabuntur, quia sunt quæ futuræ veritatis antiquiore regula prænunciabantur. (*Lib. adversf. Hermogenem.*)

Traditionis contemptus hæreses parit.

XXIII. Rescindendo quod credidisti, probas, antequam rescinderes aliter fuisse quod credidisti aliter. Illud ita erat traditum. Porro quod traditum erat, id erat verum, ut ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat verum rescidisti; nullo jure fecisti. (*Lib. de carne Christi, cap.* 2.)

Omnipotentia Dei.

XXIV. Deo nihil impossibile nisi quod non vult. (*Ibidem, cap.* 3.)

Quæ insolita de Deo dicuntur, ex credibiliora.

XXV. Natus est Dei filius; non pudet, quia pudendum est. Mortuus est Dei filius; prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepul-

sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile est. (*Ibidem*, *cap.* 5.) TERTULL.

XXVI. Nove nasci debebat, novæ nativitatis dedicator. (*Ibid. cap.* 17.) Nova nativitas.

XXVII. Utique idoneus est carnem reficere, qui fecit: quanto plus est fecisse, quam refecisse: initium dedisse, quam reddidisse? ita restitutionem carnis faciliorem credas institutione. (*Lib. de resurrectione carnis*, *cap.* 11.) Resurrectio creatione facilior.

XXVIII. Omnia in statum redeunt, quum abscesserint: omnia incipiunt cum desierint. Ideo finiuntur ut fiant. Nihil deperit, nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus ante, quam literis.... præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam, quo facilius credas prophetiæ, discipulus naturæ; nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium novis restitutorem. (*Ibid. cap.* 12.) Imago resurrectionis in natura.

XXIX. Humanæ temeritatis, non divinæ auctoritatis negotium est hæresis; quæ sic semper emendat Evangelia, dum veniat. (*Lib.* 4. *contr. Marc. cap.* 4.) Adversus hæreses.

CA-

CAPUT V.

SELECTA AXIOMATA

S. CYPRIANI

Episcopi Carthaginensis, Martyris & Ecclesiæ Doctoris. (a).

S. Cyprian.

Res divinæ simpliciter tractandæ.

I. IN judiciis, in concione pro rostris, opulenta facundia, volubili ambitione jactetur. Cum vero de Domino Deo vox est, vocis pura sinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. Denique accipe non diserta, sed fortia; nec ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata, sed ad divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia. (*S. Cypr. Epist.* 1. *ad Donat.*)

Omne bonum ex gratia, malum a nobis.

II. Dei est, inquam Dei, omne quod possumus, inde vivimus, inde pollemus. (*Ibidem.*)

Prælaris fortitudo necessaria.

III. Non idcirco relinquenda est Ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis solvenda censura, quoniam conviciis infestamur, aut terroribus quatimur. Quando moneat scriptura divina, dicens: *Verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in stercora erit & in vermes.* (*Epist.* 55. *ad Cornel.*)

Soli Deo placere studeamus.

IV. Interest utrum quis homines promereri, an Deum cupiat. Si hominibus placetur, Dominus offenditur; si vero id enitimur, & elaboramus ut possimus Deo placere, & convicia & maledicta debemus humana contemnere. (*Ibidem.*)

Unio fidelium tutela contra Dæmones.

V. Concordia simul juncta vinci non potest omnino: quicquid simul petitur a cunctis, Deus pacificis exhibet. (*Epist.* 57. *ad Cornel.*)

Captivis propter Christum succurrendum.

VI. In captivis fratribus nostris contemplandus est Christus, & redimendus de periculo captivitatis qui nos redimit de periculo mortis: ut qui nos de diaboli faucibus eruit, nunc ipse qui manet & habitat in nobis de barbarorum manibus eruatur; & redimatur nummaria quantitate, qui nos cruce redemit & Sanguine. (*Epist.* 60. *ad Episc. Numid.*)

Unio plebis cum Episcopo Ecclesiam efformat.

VII. Et si contumax ac superba obaudire volentium multitudo discedat; Ecclesia tamen a Christo non recedit: & illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire

---

(*a*) S. Cyprianus clarus inter Ecclesiæ Patres natus Carthagine antequam Christianus fieret Rhetoricam docuit. Electus Episcopus anno 241. Martyr occubuit anno 258.

scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse. (*Epist.* 69. *ad Floren.*)

S. CYPRIAN.

VIII. Consuetudo quæ apud quosdam obrepsit, non impedire debet quominus veritas prævaleat & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. (*Epist.* 74. *ad Pamp.*)

Consuetudo deferenda, veritas tenenda.

IX. Dominus probari familiam suam voluit; & quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem & pene dixerim dormientem, censura cælestis erexit: cumque nos peccatis nostris amplius pati mereretur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne quod gestum est, exploratio potius quam persecutio videretur. (*de Lapsis.*)

Persecutio utilis Ecclesiæ.

X. *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt...* Sic oportet Dei sacerdotem non obsequiis dicipientibus fallere; sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est & secandum, & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget postmodum cum senserit sanitatem. (*Ibidem.*)

Adulatio noxia peccatoribus.

XI. *Qui me confusus fuerit, confundetur eum filius hominis.* Et Christianum se putat qui Christianus esse confunditur aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit aut metuit? (*Ibidem.*)

Christianus non est, qui talem esse erubescit.

XII. *Revertimini ad me ex toto corde vestro, simulque & jejunio & fletu & planctu....* Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die epulis affluentibus pastus, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat? qui hilaris ac lætus incedit, quo modo mortem suam deflet? & placere nunc cuiquam studet, qui Deo displicet? an illa ingemiscit & plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi quod perdidit cogitare? accipere pretiosa ornamenta, nec divini ornatus damna deflere? (*Ibidem.*)

Non vere pœnitet qui luxum & delicias quærit.

XIII. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis?... Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis? ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta; peccasse, nec satisfacere, deliquisse, nec delicta deflere. (*Ibidem.*)

Contra peccantium duritiem.

XIV. Super unum Petrum ædificat Ecclesiam suam; & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat: *Sic misit me Pater, & ego mitto vos, &c.* Tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. (*De Unit. Eccles. Cathol.*)

Primatus S. Petri & unitas in Episcopatu.

S. CYPRIAN.

Unitas Ecclesiæ.

XV. *Una est Columba mea*. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? (*Ibidem*.)

Nemo salvus extra Ecclesiam.

XVI. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit.... hoc unitatis Sacramentum ostenditur; quando tunica Domini Jesu Christi non dividitur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi quis ipsam potius indueret, integra vestis accipitur, & individua atque incorrupta tunica possidetur. (*Ibidem*.)

Verus Christianus lætus mortem expectat.

XVII. Ejus est mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare. Scriptum est, *justum fide vivere*. Si justus es & fide vivis, si vere in Deum credis; cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris; & quod Diabolo careas, gratularis? (*Tract. de mortal.*)

CA-

CAPUT VI.

SELECTA AXIOMATA

S. HILARII

Pictaviensis Episcopi Ecclesiæ Doctoris (a).

S. Hilarii.

Justi magis tentationibus obnoxii.

I. TENTATUR statim post baptismum Dominus, tentatione sua indicans in sanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta grassari; quia victoria ei est magis exoptata de sanctis. (*In Matthæum can.* 3.)

Habere divitias malum non est.

II. Habere divitias criminis non est, sed modus in habendo retinendus est. Nam quomodo impertiendum est, quomodo communicandum; sic impertiendi & communicandi materia non relinquatur. Ergo nocenter magis habere, quam illud ipsum habere sit crimen. Sed periculosa cura est velle ditescere: & grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata, rem enim seculi, famulatus Dei, non sine istius vitiis assequitur. Hinc difficile divitem regnum cælorum adire. (*Can.* 19.)

Bonis Ecclesiæ abuti crimen magnum.

III. Omnes qui stipe templi, & his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum & Sacerdotum redimentium mendacium & sanguinem Salvatoris. (*Can.* 33.)

Non solum malum fugiendum, sed bonum faciendum.

IV. *Qui ingreditur sine macula.* Extra peccati labem vivere.... magnum est, sed non in hoc statim confecti itineris est requies. Cœpta enim in his via est, non peracta: nam sequitur, & *operatur justitiam.* Bonum non tam cogitandum est, quam exequendum: justitiam velle hic erit fructus ut fiat. (*In Psal.* 14.)

Humilitati constantia socianda.

V. Non oportet humilitatem carere constantia, & libertas Deo a nobis in ea quam omnibus debemus servitute retinenda est; ne ad potentium impetus terreamur, ne ad malevolorum arbitria cedamus: interdum enim etiam Regibus iniqua poscentibus turpi adulatione famulamur, & vitiis alienis conscientiæ nostræ infirmitate blandimur. (*In Psal.* 14.)

Displicere hominibus ut Deo placeamus.

VI. *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile sit, sed quod multorum, ut salventur.* Hoc est, non hominibus, sed Deo placere; cum per id quod Deo placetur, & hominibus sit placendum. Cæterum studium, quod ut hominibus tantum placea-

(*a*) S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, ea in urbe natus celebris Ecclesiæ Doctor ex Pagano Christianus factus in Episcopum ordinatus fuit paulo ante annum 356. & obiit anno 367. vel 368.

tur, impenditur, ad id quod Deo placendum est non refertur: quia tantum eorum causa quibus placetur adhibetur. (*In Psal.* 52.)

S. HILARII.

Quas preces Deus rejiciat.

VII. *Ne despexeris deprecationem meam*. Despiciuntur orationes diffidentes, sæculi curis anxiæ, & rerum corporalium desideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ. Hæ igitur despicabiles sunt orationes, de quibus per Isajam Prophetam: *Et cum extenderitis manus vestras ad me, avertam oculos meos ab eis*. (*In Psal.* 54.)

A puris veritas annuntianda.

VIII. *Peccatori autem dixit: quare tu enarras justitias meas?* Non ait, quare memor es? sed peccatorem monuit eum, qui in peccato mansisset, prædicationis officio abstinere: vult enim liberum a crimine esse doctrinæ cælestis prædicatorem; vult eloquia sua casta corporis casto ore tractari. (*In Psal.* 118.)

Hominum persecutio ex Satana.

IX. *Intravit Satanas in Judam:* In omni igitur quam perpetimur injuria, alterius opus, alterius instinctus est. Non ergo his irascendum: sed quoties per contumelias ad iracundiam provocamur, quoties aliqua perpetimur.... agnoscendus est hostis ille, per quem hæc operum ac dictorum incentiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operariis: sed potius in his detestandi officii intercessio fœda miseranda est, quod sint vasa Diaboli, Satanæ ministerium. (*In Psal.* 128.)

CA-

CAPUT VII.

SELECTA AXIOMATA

S. BASILII

Cæsarienſis in Cappadocia Epiſcopi (a).

S. BASILII.

I. NON ſolus oculus ea quæ ſunt foris conſpiciens, in ſeipſum cernendum haud utitur facultate videndi; ſed ipſa mens etiam noſtra peracute perſpiciens alienos errores, tarda eſt ad proprios ſuos cognoſcendos defectus. (*S. Baſil. in Examer. Hom.* 9.) — *Cæcitas in propriis defectibus.*

II. Beatus plane qui iis quæ in terra ſunt non ut propriis ſe addixit, neque iſti ſeculo tamquam naturali ſuæ patriæ acquievit: quin potius gravatur quod incolatum hunc caſum eſſe novit a rebus potioribus; & quaſi proſcriptionis domicilium vitam hanc incolit. (*In Pſal.* 14.) — *Terra locus peregrinorum.*

III. Una quælibet actio aut ad inferiora nos per peccatum gravando deducit; vel habiles ad Deum accedendi ad ſuperiora tollit. (*In Pſal.* 29.) — *Qualibet actio vel gravat, vel ſublevat.*

IV. Quoniam in corpore peccavimus, quando membra noſtra ſerva peccati, ad iniquitatem præbuimus: corpore item confiteamur, eodem in peccati diſſolutionem utentes inſtrumento. Maledixiſti? benedicas. Circumveniſti proximum in negotio? redde. In ebrietatem incidiſti? jejuna. Arroganter & ſuperbe egiſti? humiliare. Invidiſti? obſecra. (*In Pſal.* 32.) — *Peccata contrariis virtutibus expianda.*

V. Quoniam non jejunavimus, exulamus a Paradiſo. Jejunemus igitur ut ad illum poſtliminio revertamur. (*Hom.* 1. *de jejun.*) — *Jejunii utilitas.*

VI. Sane ad eum modum *ſine intermiſſione* oraveris, non quidem ſi verbis modo orationem expleveris; verius ubi omnis prorſus vitæ tuæ ratio, divinæ te conformarit voluntati; ſicut vita tua dici & eſſe promereatur continens quædam & indivulſa Oratio. (*Hom. in Martyr. Julittam.*) — *Bona vita jugis Oratio.*

VII. Petenti denegas, mille ſumptuum occaſiones commemorando: quid miſer judici reſpondebis? parietes veſtis, hominem non veſtis &c. (*Ibidem.*) — *Bona pauperibus diſtribuenda, & in Cælo recipienda.*

VIII. Quemadmodum rubigo ferrum, ſic invidia hos, qui eam poſſident, conſumit atque vaſtat. (*De invidia.*) — *Contra invidos.*

(a) S. Baſilius Magnus inter Doctores & illuſtriores Eccleſiæ Magiſtros enumerandus, ortus eſt Cæſareæ in Cappadocia circa annum 329. Invitus Presbyter ordinatur ab Euſebio ſuo Epiſcopo. Electus & conſecratus Epiſcopus anno 364. obiit anno 379.

S. BASILII. IX. Mos est naucleri in cælum aspicere, indeque navigationis cursum auspicari .... Tu quoque oculos ad cælum attollens, secundum eum qui ait: *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cælis*: Habitantem in cælo justitiæ solem respice; ac velut astra quædam splendida, Dei mandata observa. (*In princip. Prov.*)

Ut recte vivamus, Cælum aspiciendum.

Justus Mundo non vivit. X. Longo nimis tempore mundo viximus, reliquum vivamus & nobis ipsis. Quænam quæso animæ digna compensatio? quid æque regno cælorum comparandum? (*Exhort. ad Baptism.*)

Pietas, magna hæreditas filiis relicta. XI. Thesaurus pietas est. Relinque bonam filiis memoriam magis quam divitias multas. Fac omnes filios tuos ratione pietatis ac beneficentiæ patres. (*Hom. 21. in aliquot script. locos.*)

Humilitas. XII. Animi modestia & humilitas eum sæpe eripit, qui plurimum & in magnis deliquit. (*De humilitate.*)

Quibus non sit locus pœnitentiæ. XIII. Quibus non est Pœnitentia? qui spe pœnitentiæ malefacit, pœnitentia privatus est. (*De Pœnit.*)

Contra censores verbi Dei. XIV. Plurimi exploratores magis sunt eorum quæ dicuntur, quam discipuli eorum quæ docentur: & doctrina verbi non requiritur ad ædificationem adstantium, sed ad calumniam insidiantium. (*Homil. 29. advers. calumn.*)

In Christo mortuus, a sæculo est abalienatus. XV. Qui cum Christo per baptisma crucifigitur, ab omnibus in universum qui secundum hoc sæculum vivunt abalienatus est; sublata jam mente ad cælestem conversationem exaltatus; ut queat vere & cum fiducia quæ in Christo est, dicere: *Nostra conversatio in cælis est*. (*Ibidem.*)

Contra recidivos. XVI. Qui semel veniam est consecutus, is si denuo post illud tempus peccat, severius in se animadvertendi Deo causam dat. (*Reg. 11.*)

Scandala amputanda. XVII. Quicquid scandalizat, amputari debet, licet conjunctissimum ac summe necessarium nobis videatur. (*Reg. 41.*)

Fiducia in Deo. XVIII. Nullo modo metuere debet Christianus quandocumque in aliquo periculo constitutus sit, aut opem divinam desperare; sed confidere potius, tamquam præsente Domino, & rebus ipsius omnibus consulente. (*Reg. 63. 3.*)

Lucrum a Clericis non quærendum. XIX. Non debet cui traditum est munus Evangelii, aliquid plus possidere, quam quantum naturalis usus desiderat. (*Cap. 28.*)

Veri Christiani quales. XX. Quales esse Christianos decet? tamquam Christi discipulos, qui ad ea tantummodo se conforment, quæ in ipso videant, vel audiant ab ipso. (*Reg. 80. 2.*)

Idem. XXI. Tamquam oves Christi qui solam audiant vocem Pastoris sui, & ipsum sequantur. (*Ibidem.*)

Idem. XXII. Tamquam palmites Christi in ipso radicatos & ipsi fructum ferentes, & omnia quæ illo digna sunt & ipsius voluntati consentanea facientes & habentes. (*Ibidem.*)

Idem. XXIII. Tamquam templum Dei sanctos & mundos, & iis repletos solum, quæ ad Dei cultum pertineant. (*Ibid.*)

Idem. XXIV. Tamquam filios Dei formatos ad imaginem Dei, secundum mensuram quæ donata est hominibus. (*Ibid.*)

XXV.

XXV. Quid proprium Christianorum? ejusmodi dilectio inter ipsos, cujusmodi ea fuit, qua dilexit nos Christus. (*Ibid.*)

Amor Christi regula amoris proximi.

XXVI. Nos quidem cæleste regnum concupiscere nos ingenue profitemur: de iis autem rebus, per quas illud assequi possumus, soliciti nihil sumus. (*Proœm. in reg. fus. disput.*)

Regnum non desiderandum solum, sed & quærendum.

XXVII. Non est suavitate metiendus finis, aut spectandus cibi sumendi; sed necessario tantum usu ad vitæ conservationem experiri debet, rejecta voluptatis libidine, quando voluptatibus servire nihil est aliud, quam ventrem Deum suum efficere. (*Interrog.* 17.)

Cibus ad necessitatem, non ad voluptatem sumendus.

XXVIII. Si pro amicis ponenda est anima; quanto magis quæ minoris pretii sunt? (*Interrog.* 162. *resp.*)

Pro amicis omnia ponenda.

XXIX. Charitatis præcipua sunt hæc duo, dolere & angi in iis rebus ex quibus læditur is erga quem charitas habetur: similiterque ipsius utilitate lætari & pro ea laborare. Beatus igitur quicumque mœret propter illum qui peccat, cum ejus periculum adeo sit metuendum; & lætitia afficitur propter illum qui recte facit, cum ejus lucrum sit incomparabile .... qui autem hoc modo varie non afficitur, de hoc prorsus dubitari non potest, quod fratrem ex mandato non diligat. (*Interrog.* 175. *resp.*)

Caritas gaudet de bono, tristatur de malo proximi.

XXX. Si non audimur a Deo, intelligendum est opus esse aut perseverantia, aut contentione majore.... aut emendatione & diligentia. (*Interrog.* 261. *resp.*)

Quas Deus preces exaudiat.

XXXI. Cum unus sit Deus, si in singulis fuerit, omnes coadunat, peritque numerus per inhabitationem monadis. (*Epist.* 141. *ad Cæsariens.*)

Deus omnes in se coadunat.

XXXII. Dictionis inaffectata simplicitas decora mihi videtur & professioni Christiani hominis conveniens; cujus est non ad ostentationem magis scribere quam ad publicam utilitatem. (*Epist.* 167. *Diodor.*)

Doctoris stylus simplex.

XXXIII. Ubi nihil humanum est præ oculis, neque proprii oblectamenti gratia ad operandum moventur sancti, sed quod Deo probatur spectant, manifestum est, Dominum esse qui corda eorum diligat. (*Epist.* 293. *ad Cleric. Nicopal.*)

Deus pro se operantes regit.

XXXIV. Patrum vestigiis non insistere; & suam ipsorum excogitatam sententiam velut potiorem, voci illorum anteferre, præsumptionis plenum. (*Epist.* 300. *Canon.*)

Præsumptio, Patrum vestigiis non insistere.

CAPUT VIII.

SELECTA AXIOMATA

S. EPHREM

Edesseni Diaconi & Ecclesiæ Doctoris (a).

S. EPHREM.

Oratio & silentium. I. CUM Deo multis, cum hominibus paucis loquere. (*Encom. in Psal.*)

Proximus tolerandus. II. Beatus qui proximum tolerat, sed væ illi qui toleratur, nec intelligit. (*De vita spirit.*)

Compunctio animæ. III. Compungere o anima mea, compungere super universis bonis quæ a Deo accepisti, & non custodisti; compungere in omnibus quæ fecisti malis; compungere in cunctis in quibus te Deus patienter expectavit. (*Serm. 2. de compunct.*)

Cibus animæ. IV. Quemadmodum corpus nisi pane sustentetur, vivere nequit; ita nec anima nisi spirituali alimento reficiatur.... nutri illam in verbis divinis, in Psalmis, in lectionibus sacrarum Scripturarum, in jejuniis, in vigiliis, in lacrymis, in spe ac meditatione futurorum bonorum. (*De compunct. & salute animæ serm.*)

Modi servandæ puritatis. V. Tria sunt excolendis virtutibus, ac cælesti puritati perquam accommoda; temperantia ventris, moderatio linguæ, & oculorum frænum. (*De humil. compar.*)

Pastoris munia. VI. Non exiguum sibi damnum conciliat pastor dum extra ovile dormit ovium: Pastorum enim negligentia, luporum est gaudium. (*De timore Dei.*)

Gratia per ignaviam amittitur. VII. Si quis per ignaviam seipsum relaxans gratiam Dei in auxilium invocare neglexerit; seipsum accuset, & non gratiam, si ab ea deseratur. (*Ibidem.*)

Pœnitentiæ miri effectus. VIII. Peccatores pœnitentia immolat, sed rursus eos vivificat, mortificat, ac denuo resuscitat... magna fornax est pœnitentia: æs accipit, & in aurum commutat. (*Ibidem.*)

CA-

(*a*) S. Ephrem doctus Ecclesiæ Pater Nisibenus vitam monasticam est ab adolescentia amplexus. Magnam sibi suis Operibus & virtutibus famam comparavit, dictus Doctor & Propheta Syrorum obiit an. 379.

CAPUT IX.

SELECTA AXIOMATA

S. CYRILLI

Episcopi Hierosolymitani, Ecclesiæ Doctoris (a).

S. CYRILLI.

I. SIGNO crucis utere, tum edens ac bibens, tum sedens ac cubans; & ut semel dicam, in omni re atque negotio. (*Catech.* 4.) *Signum Crucis.*

II. Cum vides Diaconum, aquam lavandis manibus porrigentem sacerdoti.... Symbolum est oportere a peccatis omnibus mundari; sicut David audisti dicentem: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum.* (*Mystag.* 5.) *Eadem sacrificii virtus in priori & præsenti Ecclesia. Ablutio manus.*

III. Clamat sacerdos, *sursum corda;* vere enim circa illam tremendam horam maxime sursum ad Deum corda levare necesse est, & non deorsum ad terram terrenaque deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit sacerdos, curas scilicet vitæ hujus omnes, & domesticas sollicitudines illa hora relinquere, & cor in cælo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde respondetis, *habemus ad Dominum:* nullus ergo sic consistat, ut ore quidem illud dicat, mente autem vagetur circa vitæ hujus curas. (*Ibidem.*) *Præfatio.*

IV. Deinde dicit sacerdos; *gratias agamus Domino.* Certe gratias agere debemus, quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocavit; quod inimicos sibi reconciliavit, quod spiritum adoptionis nobis donavit: ad hæc subjicitis, *dignum & justum est.* (*Ibidem.*) *Idem.*

V. Commemoramus etiam illa Cherubim, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth....* ut in illa cælesti hymnodia cum supra mundana militia communicemus; atque sic hujusmodi per hymnos nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, ut super illa dona proposita sanctum spiritum emittat; ut panem quidem faciat Corpus Christi, vinum vero Sanguinem Christi. Omnino enim quod attigit Spiritus Sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. (*Ibidem.*) *Trisagium. Transubstantiatio.*

VI. Deinde vero postquam confectum illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro Regibus, pro ægrotis, *Memento. Commemoratio Sanctorum.*

(a) Hierosolymis natus est S. Cyrillus circa annum 315. ordinatus Presbyter circa annum 347. electus Episcopus anno 350. vel 351. obiit 386.

grotis, &c. Et in ſumma pro iis omnibus qui egent auxilio. Rogamus te nos omnes & hoc ſacrificium offerimus, ut meminerimus eorum qui ante nos obdormierunt, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum; ut Deus orationibus illorum ſuſcipiat preces noſtras. (*Ibidem*.)

S. Cyrilli.

Oratio pro defunctis.

VII. Deinde pro defunctis ſanctis Patribus & Epiſcopis; denique pro omnibus oramus qui inter nos vita functi ſunt: maximum eſſe credentes animarum juvamen pro quibus offertur precatio; ſancti illius & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificii. Scio multos dicere: Quid juvat animam ſive cum peccatis, ſive abſque peccatis hoc ſæculo decedentem, ſi in hoc ſacrificio ejus mentio fiat? nam ſi Rex aliquis eos a quibus offenſus eſt in exilium pepulerit; poſtea vero illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro exulibus ipſi offerant, nonne aliquam condonationem ſuppliciorum eis dederit? ad eumdem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes quamvis ſint peccatores, non coronam plectimus, ſed Chriſtum mactatum pro peccatis noſtris offerimus; ut & nobis & illis eum qui eſt benigniſſimus propitium reddamus. (*Ibidem*.)

Oratio Dominica. Sanctitas neceſſaria ad Communionem.

VIII. Poſtea dicitis illam orationem, quam Salvator Diſcipulis tradidit, *Pater noſter*, &c. Sacerdos autem poſtea dicit: *Sancta Sanctis*; ſancta ſcilicet ea quæ in ara propoſita ſunt adventu Spiritus Sancti ſanctificata; vobis ſcilicet ſanctis, Sancto Spiritu donatis: atque ita ſancta Sanctis conveniunt. (*Ibidem*.)

CA-

CAPUT X.

SELECTA AXIOMATA

S. GREGORII NAZIANZENI

Archiepiscopi Constantinopolitani, & Ecclesiæ Doctoris (a).

I. QUIDAM, ut dici solet, illotis manibus profanisque animis in sanctissima mysteria se se inferunt; ac priusquam digni sint qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt, & circum sanctam mensam se se invicem premunt atque protrudunt. (*Ibidem*.)

Contra ambientes sacros ordines.

II. Melius est aliis qui artis peritia præstant, salutis nostræ habenas concedere, quam imperitos aliorum aurigas esse; atque aurem potius æquam submittere, quam imperitam linguam movere. (*Ibidem*.)

Melius subesse quam præesse.

III. Lubentius de Deo quidpiam discatis, quam doceatis: vosque ita comparetis ut exactiore harum rerum examinatione dispensatoribus verbi relicta, sermone minimum, operibus majore ex parte Deum colatis. (*Orat*. 2.)

Libentius discere quam docere.

IV. Crimen est non modo malum extitisse, sed etiam a malo parum abfuisse, nimirum cupiditate ipsa pene ut actione pœnam luente. (*Ibidem*.)

Etiam species mali vitanda.

V. Me Pontificem ungis, podere cingis, capitique cidarim imponis, atque holocausti spiritualis Altari admoves; ac initiationis vitulum mactas; manusque Spiritui consecras & sancta sanctorum spectatum introducis; verique illius Tabernaculi quod non homo, sed Dominus fixit, ministrum efficis. (*Orat*. 5.)

Ritus Ordinationis primi sæculi.

VI. Non is de alio facile malum suspicatur, qui non facile ad malum impellitur. (*Orat*. 8.)

Justi nulla suspicio.

VII. Non est hic vacandum deliciis, in spe dumtaxat deliciari debemus. (*Ibidem*.)

Spes gaudium Christiani.

VIII. Melior est contentio pietatis causa suscepta, quam vitiosa concordia. (*Ibidem*.)

Melior aliquando pace, contentio.

IX. Sic statuo, nec segniorem quemquam esse debere, quam par sit,

Amicitia qualis esse de-

(*a*) S. Gregorius Nazianzenus inter celebriores & nobiliores Ecclesiæ Grecæ Patres commemorandus natus in Pago Azianzi prope Nazianzum circa annum 330. ordinatus Presbyter anno 361. Consecratus Episcopus anno circiter 372. electus Episcopus Constantinopolitanus an. 378. obiit 391.

[redacted] S. GREG. NAZ. beat contra suspiciosos & temere judicantes.

sit, nec ferventiorem: ita ut vel ob levitatem ad omnes se aggreget, vel ob temeritatem ab omnibus se removeat: æque enim & iners segnities est, & mobilitas atque inconstantia a societate & communione aliena. Verum ubi aperte se prodit impietas, tum vero nobis prius in ignem & ferrum ruendum, quam ut *mali fermenti* participes efficiamur, ac male affectis assentiamur; nec quidquam perinde metuendum est, quam ne quid magis quam Deum metuamus, ac propterea fidei & veritatis, cum veritati serviamus, doctrinam perfide deseramus. At cum suspicio sola animum nostrum male habet, timorque nullis certis argumentis innixus; tum vero potius lenitatem, quam celeritatem; & indulgentem demissionem potius quam arrogantiam & contumaciam adhibere convenit. (*Ibidem*.)

Se & bona sua Deo offerre.

X. Da exiguum ei, a quo multum habes: da etiam omnia ei qui omnia tibi donavit. Numquam Dei munificentiam vinces; etiamsi omnia bona tua projicias; etiamsi te etiam ipsum bonis tuis adjungas. Nam hoc quoque ipsum accipere est, nempe Deo donari. (*Ibidem*.)

Quomodo danda eleemosyna.

XI. Multo satius est, ob eos qui digni sunt, indignis quoque largiri, quam dum metuimus ne indignis largiamur, dignos etiam beneficio fraudare. (*Ibidem*.)

Melius Deo servire, quam de eo loqui.

XII. Quamquam præclarum est de Deo verba facere; præclarius tamen est coram Deo se purgare. (*Ibidem*.)

Per actionem elevamur ad contemplationem.

XIII. Per vitæ probitatem ascende: per purgationem, eum qui purus est adipiscere. Vis Theologus aliquando fieri, ac divinitate dignus? mandata serva: per Dei præcepta incede: actio enim est gradus ad contemplationem. (*Orat*. 29.)

Bene quod bonum est, faciendum.

XIV. Quæ per se bona sunt, nisi bene tractentur, boni gratiam perdunt. (*Orat*. 33.)

Christiani conjugii modestia.

XV. Christus nuptiis interfuit, porro ubi Christus est, modestia quoque est. (*Epist*. 193.)

CA-

CAPUT XI.

SELECTA AXIOMATA

S. GREGORII NYSSENI

Episcopi & Ecclesiæ Doctoris (a).

I. *FACIAMUS hominem & præsit*. Ad imperandum es natus homo; quid ergo perturbationibus servis? cur dignitatem abjicis tuam? cur te peccato tradis iu servitutem? cur te constituis mancipium diaboli? (*S. Greg. Nyss. Orat.* 1.) S. GREG. NYS. Peccator mancipium Diaboli.

II. Omne studium adhibeamus, ne ab ea perfectione decidamus, ad quam pervenire sit possibile: tantumque ipsius possideamus, quantum capere possumus. Ita enim se habere, ut ad ulteriora semper in virtute velis ascendere, id ipsum forsan humanæ naturæ perfectio est. (*De vita Mosis*.) Perfectionis studium.

III. Modesti hominis etiam oculus mundus est, & hæc quæ ad luxuriam incitant, spectacula respuit. (*Vit. Mos. interp.*) Spectacula fugienda.

IV. Invidus non suis malis, sed alienis bonis infelix est; & contra non suo bono, sed malis proximi felix. (*Ibidem*.) Invidus infelix.

V. Quiddam continere .... quare si Sacerdotis vitam inveneris redolentem unguentis, bysso florentem, mensis pinguibus inhærentem, recte in hunc Evangelicis utens verbis, Sacerdotalem arborem non agnosco: alius est enim sacerdotii fructus ab isto. (*Ibid.*) Vita Sacerdotis qualis.

VI. Quod est tempus quærendi Deum; breviter dico, tota vita. *Oculi mei semper ad Dominum*. (*In Eccles. Hom.* 2.) Deus tota vita quærendus.

VII. Oratio conversatio cum Deo est, invisibilium contemplatio, eorum quæ concupiscuntur certa fides, ejusdem cum Angelis honoris conditio, bonorum progressus & incrementum, malorum subversio, peccatorum emendatio, præsentium fructus, futurorum comprehensio. (*Ibidem*.) Orationis prærogativę.

VIII. Hic mihi Dominus dum *cælestem Patrem* invocandum esse docet, bonam illam patriam in memoriam redigere videtur; ut vehementiori bonorum injecto desiderio, sistat te rursus in via ad patriam reducente. (*Ibidem*.) Cælestis Patria desideranda.

IX. Caput omnium bonorum est, si per meam vitam nomen Dei glorificetur. (*Ibidem*.) Deus glorificandus.

X. Immisericordi objicietur; non portasti ad hoc sæculum humanita- Adversus immisericordes.

(a) S. Gregorius Nyssenus Pater & Doctor Ecclesiæ in Cappadocia natus, fratrem habuit S. Basilium Magnum. Electus Nyssenus Episcopus anno 372. in exilium pulsus ob orthodoxam fidem, obiit 9. Martii anno 386.

S. GREG. NYS. nitatem, non habes quod non habuisti; non invenis quod non deposuisti; non colligis quod non dispersisti, non metes quorum non dejecisti semina. Digna sementi tibi messis: acerbitatem seminasti, collige manipulos: coluisti immisericordiam, habe quod dilexisti; non aspexisti quemquam condolenter, non aspicieris cum miseratione; fugisti misericordiam, fugiet te misericordia; fastidisti egenum, fastidiet te qui propter te egenus fuit. Si hæc dicantur, ubi aurum? ubi splendida supellex? quid hæc ad fletum & stridorem dentium? quis extinguet flammam? quis avertet vermem numquam morientem? (*Ibidem*.)

Vulnera animæ curanda. XI. Alius ægrotantis, alius valentis est vivendi modus. Qui valet, pro arbitratu suo vivit, quocumque vult proficiscitur, omni officio & munere libere fungitur: hic autem in angusto jacet cubiculo, procul ab omnium consuetudine, omnibusque negotiis remotus. Qui conviviis olim magnificis delectabatur, aqua nunc & panis frustulo vescitur. Hæc qui corporis morbo laborat: tu vero cujus animus æger est, cur non ad medicum properas; cur non ei confitendo morbum ostendis tuum? quid pateris ut depascatur, ut inflammetur? tandem aliquando resipisce ac te ipsum nosce. Deum offendisti; procreatorem tuum irritasti, eum qui & præsentis vitæ potestatem habet, & futuræ Dominus ac judex est. (*Ibid.*)

Quomodo. XII. Explora diligenter morbum quo affectus es; suscipe ex eo dolorem quantum maximum potes; fratres unanimes adhibe qui simul doleant.... afflictionis participem sume sacerdotem, ut patrem. Quis enim tam falso nominatur pater, qui non filiis mærentibus doleat? sacerdos ita tristatur ob peccatum illius, quem propter religionem habet loco filii, ut David luxit Absalonis interitum, ut Moses impium populum qui sibi vitulum conflaverat. Quamobrem major tibi in eo fiducia sit qui te in Deo genuit, quam in illis a quibus secundum corpus procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita: occulta vulnera medico retege. Ipse & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit.: Filiorum dedecore magis moventur parentes, quam ipsi filii. (*Ibid.*)

Omnia opera ad Christum tendant. XIII. Ut *quidquid non est ex fide* Paulus *peccatum* dicit, ita nos plane possumus affirmare, quæcumque non respiciunt Christum, seu verba, seu opera sint, seu cogitationes, illa omnia ad id omnino spectare, quod Christo contrarium est. Quid igitur aliud eum oportet facere qui magno Christi cognomine dignus effectus est, nisi ut omnia sua tum cogitata, tum dicta, tum facta diligenter exploret; & utrum eorum singula ad Christum tendant, ab illo ne sint aliena, dijudicet? (*De perf. Chr. for.*)

Præsules quomodo se gerere debeant. XIV. Præfectos pro dignitate suæ præfecturæ sollicitos esse convenit, & non ratione potestatis magnos spiritus gerere. Etenim decet eos majorem quidem quam alii, laborem suscipere, submissius vero quam subditi se gerere: ac pro servi imagine vitam suam aliis exhibere, dum illos reputant depositum esse Dei, qui fidei suæ commissi sunt. (*Ibidem*.)

XV.

XV. Infidelis eſt, qui humanos pro cæleſtibus honores venatur, quemadmodum Dominus dicit: *Quomodo vos credere poteſtis qui gloriam a vobis invicem accipitis, & honorem a Deo ſolo non quæritis?* (*Ibidem.*) S. GREG. NYS. Gloria non quærenda.

XVI. *Regnum cælorum intra vos eſt;* regnum appellavit gaudium deſuper inſitum animis per ſpiritum: quod eſt arrabo ſempiterni gaudii quo tunc fruentur ſanctorum animæ. (*Ibidem.*) Regnum Cælorum intra nos eſt.

XVII. Altare hoc ſanctum cui aſſiſtimus, lapis eſt natura communis.... ſed quoniam Dei cultui conſecratum eſt ac benedictionem accepit, menſa ſancta, altare immaculatum eſt, quod non amplius ab omnibus, ſed a ſolis Sacerdotibus, iiſque venerantibus, contrectatur. Panis item panis eſt initio communis: ſed ubi eum myſterium ſacrificaverit, Corpus Chriſti fit & dicitur (*De Baptiſ. Chriſt.*) Altaris conſecratio.

XVIII. Ubi ſenſerimus ejus incurſus, convenit ſubjicere: *Quicumque in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem ipſius baptizati ſumus.* Quod ſi conformes morti facti ſumus, mortuum prorſus deinceps in nobis peccatum eſt.... fuge igitur a nobis, execrande atque infauſte: mortuum enim ſpoliare vis qui olim tibi ſe conjunxerat, qui propter voluptates olim ſenſum amiſerat. Mortuus corpora non amat, mortuus non capitur divitiis; mortuus non calumniatur; mortuus non mentitur, non rapit. (*Ibidem.*) Mortui in Baptiſmo non amplius peccato vivamus.

XIX. Quod a ſenatore Joſeph geſtum eſt, nobis ſit tamquam lex; ut cum illud corporis munus ſuſcipimus, ne id ſordidæ conſcientiæ linteo involvamus, neve in cordis monumento, mortuorum oſſibus, omnique immunditia pleno, reponamus. Sed unuſquiſque, ut ſcribit Apoſtolus, *ſeipſum probet;* ne munus indigne ſuſcipienti ſit in judicium. (*In Chriſt. Reſurr.*) Corpus Chriſti digne ſumendum.

CA-

CAPUT. XII.

SELECTA AXIOMATA

S. AMBROSII

Mediolanensis Archiepiscopi, & Ecclesiæ Doctoris (a).

S. Ambros.

Quomodo Deus diligendus.

I. IN his tribus excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere conditorem, ut in quantum intelligitur, diligatur, & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas: imo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus: ut sicut non potest esse momentum quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia; ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria. Et ideo juste mihi videtur dictum, interiorem hominem imaginem esse Dei. (*De Dign. cond. Hom.* 2.)

Satanæ in tentando infirmitas.

II. *Videbam Satanam sicut fulgur de Cælo cadentem;* ergo non timeamus eum qui eo usque infirmus est, ut & ipse casurus sit. Accepit quidem tentandi licentiam, sed non accepit copiam subruendi, nisi sua sponte labatur infirmus affectus, qui sibi auxilium non norit arcessere. (*Lib. de Parad. cap.* 2.)

Culpa oculos aperit.

III. Adam aperuit oculos ut culpam videret. Magis enim postquam peccavimus, nescio quomodo nostra delicta cognoscimus, & tunc peccatum esse intelligimus, quod antequam peccaremus, non putabamus esse peccatum. (*Ibid. cap.* 14)

Confessio peccatorum utilis ad veniam.

IV. *Serpens decepit me, & manducavi.* Veniabilis culpa quam sequitur professio delictorum. Ideo non desperata mulier quæ non reticuit Deo, sed magis confessa peccatum est, quam medicinalis secuta est sententia. Bonum est condemnari in peccato, & ut *cum hominibus flagellemur.* (*Ibidem.*)

Pro omnibus orandum.

V. Orandum pro toto corpore, pro membris omnibus matris tuæ; in qua mutuæ charitatis est insigne. Si enim pro te roges tantum, solus pro te rogabis; & si pro se tantum singuli orent, minor precatoris est gratia. Nunc autem quia singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis.... Si ergo pro omnibus roges,

---

(a) S. Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus Ecclesiæ Doctor filius Ambrosii Præfecti Prætorii in Galliis natus anno 340. electus Prætor Æmiliæ, dein Episcopus Mediolanensis anno 374. obiit pridie Nonas Aprilis 397.

roges, omnes pro te rogabunt. In quo arrogantia nulla, sed humilitas major est, & fructus uberior. (*De Abel & Cain*, *cap.* 9.) [redacted] S. AMBROSII.

De bonis exemplis gaudendum.

VI. Quam gaudeo, cum aliquos mites ac sapientes, virgines castas, viduas graves, diu vivere video, ut prætendant ipso quodam vultu & specie gravitatis, quod revereantur, quod imitentur juvenes. Non enim ipsis gaudeo, cum vivendo multa subeant tædia sæculi hujus, sed quia prosunt pluribus. (*Lib.* 2. *cap.* 3.)

Peccatum damnandum, non excusandum.

VII. Erubescere debemus & condemnare peccatum, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. (*Ibid*, *cap.* 7.)

Fidei laudes.

VIII. *Credidit Abraham Deo*, *& reputatum est illi ad justitiam*: quia rationem non quæsivit, sed promptissima fide credidit. Bonum est ut rationem præveniat fides, ne tamquam ab homine, ita a Domino Deo rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus? (*De Abraham*, *cap.* 15.)

Vir justus Patriæ murus.

IX. *Non perdam civitatem*, *si fuerint in ea quinquaginta justi*. Unde discimus quantus murus sit patriæ vir justus. (*Ibidem*, *cap.* 18.)

Virgines non sibi eligant maritum.

X. Non consulitur Rebecca de sponsalibus, illa enim judicium expectat parentum; non est enim pudoris virginalis eligere maritum. (*Ibid. cap. ult.*)

Quis vere dives.

XI. Hoc est esse divitem, quod satis sit voluntati. Mensuram enim frugalitas habet, census non habet. (*Ibid. Lib.* 2. *cap.* 5.)

Cives Cæli sumus.

XII. Qui se Abrahæ hæredem agnosceret ait: *advena sum ego in hac terra*, *& peregrinus sicut omnes Patres mei*. Qui enim peregrinus hic fuerit, civis in cælo est: qui autem in hac terra omnem animæ suæ substantiam constituendam putaverit, hæreditatemque hujus terræ acquirendam sibi exultaverit, a regno Dei excludetur. (*Ibid. cap.* 9.)

Christus in nobis luceat.

XIII. *Pone me ut signaculum in cor tuum*, *ut sigillum in brachium tuum*. Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat ergo imago ejus in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis; ut si fieri potest tota ejus species exprimatur in nobis. (*De Isaac & an. Lib. cap.* 8.)

Moriendum mundo.

XIV. Unusquisque in hac vita positus speciem mortis imitatur, qui potest ita agere, ut ei moriantur omnes corporis delectationes, & cupiditatibus omnibus ipse moriatur, sicuti mortuus erat Paulus dicens: *Mihi mundus crucifixus est*, *& ego mundo*. (*De bono mort. cap.* 3.)

Mors utilis.

XV. Anima absolvitur, corpus resolvitur. Quæ absolvitur, gaudet; quod resolvitur, nihil sentit. (*Ibidem*.)

Vita justi quænam.

XVI. Hæc enim vita justi, qui etiam quas habeat facultates, communes æstimare debeat, imo etiam inopibus dividere, recidere voluptates proprias, tenuare sumptum, adhibere parsimoniam temperan-

S. AMBROSII. perantiæ, sobrietatem tenere in prosperis, patientiam in adversis, in dolore tolerantiam, magnanimitatem in periculis, sanitatis perpetuæ vota nescire, mortis imminentis terrore non concuti, neque eum præstantiorem putare cui secundum naturam liberi, propinqui, salubritas, lætitia, affluentia redundaverint, quam cui illa defuerint: neque externis sæculi, sed virtutis domesticæ merito pensare. (*De Jacob & vit. beat.*)

Impius infelix. XVII. Amplius suis suspicionibus affligitur impius, quam alienis plerique verberibus... grande est intra se tranquillum esse, & sibi convenire. (*Ibid. Lib. 2. cap. 6.*)

Filii quomodo diligendi. XVIII. Frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis: si aut nimia indulgentia dilectum resolvat; aut unius prælatio cæteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum gratia acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum. Hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. (*De Joseph Patriarch, Lib. cap. 2.*)

Rara Pœnitentia. XIX. Nihil peccare solius est Dei; emendare autem erratum & pœnitentiam gerere peccati, sapientis est .... tamen rara confessio de peccato, rara pœnitentia: repugnat enim natura, repugnat verecundia. (*In Levit. cap. 11.*)

Sine Cruce nulla salus. XX. Jam levi circumcisionis dolore non opus est Christiano populo; qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit, ut pote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse. (*In Levit. ad Const.*)

Jejunium utile. XXI. Abstinentiæ lex a Domino Deo, prævaricatio legis a Diabolo. Culpa per cibum, cognitio infirmitatis in cibo, virtus firmitatis in jejunio. (*De Elia & jejun. cap. 4.*)

Ad Deum confugiendum, qui nos sanet. XXII. Confugiamus ad Medicum qui vulnera superiora curavit... & si gravia deliquimus, magnum medicum invenimus, magnam medicinam gratiæ ejus accepimus. (*Ibidem.*)

Divites avari quantum sibi fimant judicium. XXIII. Delectant te ornamenta pretiosa, cum alii frumenta non habeant. Quantum, o dives, sumis tibi judicium? populus esurit, & tu horrea tua claudis .... infelix cujus in potestate est tantorum animas a morte defendere, & non est voluntas. Totius vitam populi poterat annuli tui gemma servare. (*De Nabot, cap. 13.*)

Divites servi divitiarum. XXIV. *Viri divitiarum:* bene viros divitiarum appellavit, non divitias virorum, ut ostenderet eos non possessores divitiarum esse, sed a suis divitiis possideri. (*Ibid. cap. 14.*)

Omnis usura illicita. XXV. *In amplius recipiendum non dabis illi:* generaliter hæc sententia Dei omne sortis excludit augmentum. (*De Tob. cap. 15.*)

Qui eleemosynam dat, fœneratur Domino. XXVI. Nolite jam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quod vobis hominem subtraham debitorem? Christum subrogo; illum demonstro qui non possit fraudare. Fœnerate ergo Do-

Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur, ille tenetur.... Evangelium ejus cautio est. (*Ibid. cap.* 16.) S. BERNAR.

XXVII. Non fallit dixisse aliquos.... quid sibi voluit Episcopus adversus fœneratores tractare, quasi novum aliquid admissum sit, quasi non vetus sit fœnerare? Verum est, non ego abnuo: sed & culpa vetus est..... ex illo culpa, ex quo & Eva. (*Ibidem*, *cap.* 23.) Adversus usuras.

XXVIII. Principem Sacerdotum.... sequamur ut possumus Sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium... Et si infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia & si nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris quando Christi corpus offertur. Imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur. (*In Psal.* 35.) Sacerdotes honorandi.

XXIX. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Tacendum est, quando paratum non invenis auditorem: loquendum est, quando Dominus linguam eruditionis indulget, ut sermo tuos operetur in affectibus audientium. (*In Psal.* 43.) Quando loquendum, & quando silendum.

XXX. Mundat sermo divinus, mundat nostra confessio: ille dum auditur, ista dum promitur. Mundat bona cogitatio, mundat honesta operatio, bonæ quoque usus conversationis. (*In Psal.* 50.) Quæ mundent animam.

XXXI. Mors justo non naturæ finis, sed culpæ est. (*In Psal.* 61.) Justi mors.

XXXII. *Opprobrium Christi thesauris Ægypti majus æstimavit Moyses.* Si opprobrium tuum gloria est, Domine Jesu, quanta est gloria tua? (*In Psal.* 118.) Opprobrium Christi gloria.

XXXIII. *Meditabar in præceptis tuis quæ dilexi nimis.* Præcepta divina nisi quis diligat, implere non poterit: nec solum diligat, sed etiam nimis diligat. (*Ibidem.*) Præcepta Dei diligenda.

XXXIV. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos.* Cum veneris ad compitum aliquod, cogitas quam viam sequaris; nec putas prius adoriendum iter, quam animo definieris, & pleniore mentis intentione decideris, quæ sit via quæ in civitatem ducat. Quanto magis animo debes consistere, qui ad regnum cæleste contendis, & cogitare tecum, quia non omnis via illo ducit, non omnis via dirigit ad Jerusalem illam quæ in cælo est. Sunt viæ quæ malos exitus habent, quas Diaboli tentamenta triverunt; & ideo exitus earum exitus mortis sunt. Hæc nempe *sunt viæ quæ videntur viro rectæ esse, ultima autem earum aspiciunt in profundum inferni.* Est autem via angustior illa quæ ducit ad Dei regnum. Volens ergo eam ingredi viam, quæ ducit ad Deum, non circumspicies, ne facili capiaris affectu, si viæ latitudine provocatus ingrediaris iter quod ad inferna deducat? (*Ibidem.*) Via quæ ad salutem ducat studiose quærenda.

XXXV. Zelum debet habere Sacerdos, qui interruptam servare studet Ecclesiæ castitatem. (*Ibidem.*) Zelus Sacerdotis.

XXXVI. *Accedite ad eum*, & satiamini, quia panis est: accedite ad eum, & potate, quia fons est; accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est; accedite ad eum, & liberamini, quia Accedendum ad Deum.

ubi Spiritus Domini, ibi libertas: accedite ad eum, & absolvimini, quia remissio peccatorum est. (*Ibidem*.)

S. BERNAR.

Quos Deus audiat.

XXXVII. Non audit Deus, nisi quod dignum ducit suis esse beneficiis: sed audit piam vocem plenam devotionis & gratiæ. (*Ibidem*.)

Christus quos diligit castigat.

XXXVIII. Christus suos castigat, quos diligit, alienos tamquam generali damnatione impietatis adstrictos pœna damnat æterna. (*Ibidem*.)

Caritas custodia animæ.

XXXIX. *Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea nimis*. Plus est diligere, quam custodire; quia custodire interdum necessitatis est vel timoris, diligere caritatis. Ideo cum dixisset, *custodivi*, adjecit, *dilexi*, ut custodia amantis fuerit non timentis, qui nimium diligit, nimium custodit. (*Ibidem*.)

Ecclesia Navis instar.

XL. Navis Ecclesia est, quæ etsi quotidie sæculum istud tamquam aliquod pelagus sortitur infestum, numquam tamen eliditur ad saxum, nec mergitur ad profundum. (*De Salomone cap.* 4.)

Mulier fortis quænam.

XLI. *Mulierem fortem quis inveniet?* Mulier illa Ecclesia est; difficile est invenire eam, imo difficile est nescire eam: nonne ipsa est civitas supra montem posita, quæ abscondi non potest? (*Ibid.*)

Magna eleemosynæ virtus.

XLII. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Ita eleemosyna resistit peccatis, sicut aqua Baptismi gehennæ restinguit incendium. Nisi (quod salva fide dixerim) indulgentior est eleemosyna, quam lavacrum. Lavacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur: eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. (*In cap.* 3. *Eccles.*)

Animæ infirmitates quænam.

XLIII. Non minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est; febris nostra ambitio est; febris nostra iracundia est; quæ licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant, mentem, sensumque pertentant. (*Ibidem*.)

Verbi generatio incomprehensibilis.

XLIV. Divinam generationem licet non queat mens humana plene rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit, non licet tamen nescire quod natus sit: seriem generationis ignoro, sed auctorem generationis agnosco. Non interfuimus, cum ex Patre Dei filius nasceretur; sed interfuimus, cum a Patre filius Dei diceretur. (*Ibid. in cap.* 5.)

Orationis necessitas.

XLV. Quid te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? Quid te facere convenit, cum vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Christus missurus Apostolos oravit prius? (*Ibidem*.)

Adversa patienter ferenda.

XLVI. Voluit deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo tradi: ut tu a socio desertus, a socio proditus, moderate feras tuum errasse judicium, periisse beneficium. (*In Luc. Lib.* 5. *in cap.* 5.)

Terrena spernenda.

XLVII. Remanent in sæculo cuncta, quæ sæculi sunt; & pereunt nobis quæcumque congregantur hæredibus. Neque enim

nostra

nostra sunt quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia. (*Ibidem, in cap.* 12.)

S. AMBROSII.

XLVIII. Superfundit se Spiritus datus nobis precibus nostris; ut imperitiam & improvidentiam nostram adventu suo operiat; & illa nobis a Deo petat quæ prosint nobis. (*In Epist. ad Rom. cap.* 7.)

Spiritus interpellat pro nobis.

XLIX. Diligentibus Deum, & si imperite precati fuerint, non oberit illis, quia propositum cordis illorum sciens Deus & imbecillitatem, non illis imputat, quæ adversa postulant, sed ea annuit quæ danda sunt Deum amantibus. (*Ibidem.*)

Deus justo oranti solum utilia concedit.

L. Magna cura eligendus est qui domum Dei regendam accipiat. Si enim terrestrium rerum dispensatores idonei quærendi sunt, quanto magis cælestium? (*Ibid. in cap.* 3.)

Ministrorum Ecclesiæ electio.

LI. Sunt multi, qui cum sint digni, excusant se tamen, infirmos semetipsos judicantes tanti ministerii, unde vere digni apparent. (*In Epist. ad Phil.*)

Qui fugiunt magis digni.

LII. *Sine fide impossibile est placere Deo;* sed sola fides non sufficit; operari per dilectionem fidem necessarium est, & conversari digne Deo. (*In Epist. ad Hebr. cap.* 4.)

Fides sine caritate mortua.

LIII. In Christo semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam. Quid ergo? nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis ejus: & una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est & non multæ? quia semel oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar illius est, idipsum semper offerimus; nec nunc quidem alium agnum, cras alium, sed semper eumdem ipsum. Proinde unum est hoc sacrificium hac ratione, alioquin quoniam multis in locis offertur, multi Christi sunt? nequaquam, sed unus ubique est Christus; & hic plenus existens & illic plenus unum Corpus. Sicut enim qui ubique offertur unum corpus est, & non multa corpora; ita etiam & unum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem, quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est. *Hoc enim facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Non aliud sacrificium, sicut Pontificem, sed ipsum semper offerimus; magis autem recordationem sacrificii operamur. (*Ibid. cap.* 10.)

Idem Sacrificium Crucis & Altaris.

LIV. Cum unus Deus in Prophetis significetur, ab Apostolis tamen & ab Ecclesia Trinitas intelligitur. Unde etiam tractum est per omnes facere orientales Ecclesias, & nonnullas occidentales, ut in oblationibus sacrificiorum quæ Deo Patri offeruntur, una cum sacerdote voce populus utatur, id est; *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra Majestate ejus.* (*Tract. de Spiritu Sancto.*)

In Trisagio Trinitas & Unitas laudatur.

LV. Qua fide, qua devotione, huic Domino tantorum in nos donorum munifico adhærere ac deservire debemus? qui ita nullum lar-

Electi gratia possident, quod Deus natura.

largiendi modum habuit, ut tantum fidelibus donaret in præmio, quantum ipse possidebat in regno. (*De fide resurrect.*)

S. AMBROSII.

Præsentia realis & Transubstantiatio in Eucharistia.

LVI. Forte dicis; aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi Corpus accipiam? Et hoc nobis igitur superest ut probemus. Probemus non hoc esse quod natura formavit; sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere...... advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam quam naturam, & adhuc tamen Propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina; ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, ut ignem de cælo deponeret; non valebit Christi sermo, ut species mutet eleementorum? de totius mundi operibus legis, *quia ipse dixit & facta sunt*; sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant, &c. (*De iis qui init. Myst. c. 9.*)

Orationis efficacia.

LVII. Tanta est pœnitentiæ medicina, ut mutare Deus videatur suam sententiam. In te igitur est ut evadas: vult rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari, homo es, & vis rogari ut ignoscas; & putas Deum tibi non roganti ignoscere? (*Ibid. De Pœnit. Lib. 2. cap. 6.*)

Mundo moriendum.

LVIII. *Qui vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me:* etenim qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere. (*Ibidem.*)

Quomodo distribuenda eleemosyna.

LIX. Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas; nonnumquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales. Ut senibus plus largiaris, qui sibi labore jam non queunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis, & hæc juvanda propitius. Tum si quis ex divitiis cecidit in egestatem, & maxime si non vitio suo. (*De doct. fidei Lib. 31.*)

Fortitudo in quo consistat.

LX. Revera jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. (*Ibidem, cap. 36.*)

Duplex liberalitas.

LXI. Est duplex liberalitas: una quæ subsidio rei adjuvat, id est usu pecuniæ: altera quæ operarum collatione impenditur, multo frequenter splendidior. (*Ibid. Lib. 2. cap. 15.*)

Juri suo cedere aliquando utile.

LXII. De suo jure virum bonum aliquod relaxare, non solum liberalitatis, sed plerumque etiam commoditatis est. Primum dispendio litis carere, non mediocre est lucrum. Deinde accedit ad fructum, quod augetur amicitia, ex qua oriuntur plurimæ commodi-

moditates, quæ contemnenti aliquo in tempore postea fructuosæ sint. (*Cap.* 21.)

S. Ambrosii.

LXIII. Maxime Sacerdoti hoc convenit ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Dei resplendeat. (*Ibidem.*)

Templum Dei ornare Sacerdoti convenit.

LXIV. Cum omnia nobis essent nostra communia, solum tamen commune non erat secretum amicorum; non quod conferendi periculum vereremur, sed tenendi servaremus fidem. (*De excess. frat. sui Saty.*)

Secretum fideliter custodiendum.

LXV. Sit quidam quotidianus usus in nobis affectusque moriendi, ut per illam quam diximus segregationem a corporeis cupiditatibus, anima nostra se discat extrahere. (*De fide resur.*)

Quotidie moriendum.

LXVI. Helena crucis invenit titulum, regem adoravit, non lignum utique; quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum: sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo. (*Ibid. de obit. Theod.*)

Christus in Cruce adorandus.

LXVII. *Arcta & angusta via est quæ ducit ad regnum:* quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tamquam onustum & impeditum animal, per angustum regni iter transire non poterit.... tam enim est angusta diviti porta cælestis, quam est *camelo acus foramen* exiguum. (*Serm.* 10.)

Superbi & divites per angustam portam difficile ingrediuntur.

LVIII. Non est leve peccatum fidelibus indictam a Domino quadragesimam, & jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. (*Serm.* 25.)

In Quadragesima jejunandum.

LXIX. Peccatum non tollitur nisi lacrymis & pœnitentia. Nec Angelus potest, nec Archangelus: Dominus ipse qui solus potest dicere: *Ecce ego vobiscum sum*; si peccaverimus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat. (*Lib.* 5. *Epist.* 28.)

Nulla remissio sine Pœnitentia.

LXX. Nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus quæ se non potest emendare. Non annorum canities laudanda, sed morum; nullus pudor est ad meliora transire. (*Epist.* 31.)

Nulla ætas ad discendum sera.

CAPUT XIII.

SELECTA AXIOMATA

S. HIERONYMI

Presbyteri, & Ecclesiæ Doctoris (a).

S. Hieron. Nemo gaudens cum sæculo regnabit cum Christo.

I. DELICATUS es, frater, si hic vis gaudere cum sæculo, & postea regnare cum Christo. (*Epist.* 1. *ad Heliod.*)

Detractor non audiendus.

II. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. (*Ibidem.*)

Educatio filiæ christianæ.

III. Nihil aliud discat audire filia, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret; adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciva puerorum: ipsæ puellæ, & pedissequæ a sæcularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint pejus doceant... ne discat in tenero, quod ei postea dediscendum est. (*Ad Lætam. Epist.* 107.)

Puellæ qualis occupatio.

IV. Orationi lectio, lectioni succedat oratio: discat & lanam facere, breve videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. (*Ibidem.*)

Anima fidelis Templum J. C.

V. Verum Christi templum anima credentis est: illam exorna, illam vesti, in illa Christum suscipe. (*Ad Paul. Epist.* 13.)

Binæ matronæ Romanæ quantum humiles.

VI. Eustochium, & Paula, quæ eunuchorum manibus portabantur, quibus serica vestis oneri erat, & solis calor incendium, nunc pavimenta verrunt, mundant legumina, apponunt mensas, effundunt cibos. Certe magnus Virginum chorus cum illis habitat: num hujuscemodi ministeria aliis imperare non poterant? sed nolunt vinci ab his labore corporum, quas ipsæ superant virtute animi. (*Ad Pamm. epist.* 26.)

Non vita exploranda, sed monita servanda Patrum.

VII. Si tibi tacita cogitatio scrupulum moverit, cur monitor ipse non talis sim, qualem te esse desidero, & nonnullos videris in medio itinere corruisse: illud breviter respondebo, non mea esse quæ dico, sed Domini Salvatoris; non monere quid ipse possim, sed quid debeat velle, vel facere, qui servus futurus est Christi. Et athle-

(a) S. Hieronymus Ecclesiæ Doctor omnium Latinorum Patrum doctissimus natus est Stridone Urbe antiquioris Pannoniæ anno 340. ordinatus Presbyter a Paulino Antiocheno Episcopo, obiit ferme octogenarius pridie Kal. Octobris an. 420.

athletæ suis incitatoribus fortiores sunt; & tamen movet debilior, ut pugnet ille, qui fortior est. (*Epist.* 34. *ad Jul.*) S. HIERON.

VIII. Non erubescimus, non silemus. Quanto sunt humiliora, quæ pro me passus est, tanto plus illi debeo. (*Adv. Helvid.*) De Cruce Christi non erubescendum.

IX. Sacrilegium patienter audire non possum. Legi syromasten Phinees, austeritatem Eliæ, Petri severitatem, Paulique constantiam, qui Elymam magum cæcitate damnavit. Non est crudelitas, pro Deo pietas. (*Ad Riparium epist.* 109.) Sanctorum zelus.

X. Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. (*Adv. Vigil.*) Cereorum usus in Ecclesia.

XI. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto ut accipiam; & cum accepero, rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei; nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo; quanto plus bibero, tanto plus sitio. (*Ad Ctesiph. adv. Pelag.*) Gratiæ perpetua necessitas.

XII. Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos se esse noverint. (*Ibidem.*) Propriæ imperfectionis cognitio.

XIII. Apud Christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est. (*Epist. ad Marc.*) Melius injuriam pati quam facere.

XIV. Victus, & vestitus divitiæ Christianorum sunt. (*Epist. ad Marc.*) Christiani divitiæ quænam.

XV. O quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, & habere Dominum debitorem. (*Epist.* 150. *ad Hedib.*) Utilitas eleemosynæ.

XVI. Si plus habes quam tibi ad victum vestitumque necessarium sit; illud eroga, & in illo debitricem te esse noveris. (*Ibidem.*) Quod superest dandum pauperibus.

XVII. *Manus cito nemini imposueris*. Non enim peccatum leve mittere *margaritas ante porcos*, & *dare sanctum canibus*, & ordinationem clericatus nequaquam sanctis, & in lege Dei doctissimis. (*In Isaj. Lib.* 16.) Contra incautos Ordinatores.

XVIII. *Jurabis in veritate*, & *in judicio*, & *in justitia*. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium, (*Lib.* 1. *in cap.* 4. *Jerem.*) Juramenti conditiones.

XIX. Standum est in Prophetis, & diligentissime contemplandum, & interrogandum de semitis antiquis, quæ multorum Sanctorum sunt tritæ vestigiis; quæ sit via bona in Evangelio, & ambulandum in ea. (*Ibid. cap.* 6.) Recta semita scrutanda & tenenda.

XX. *Sed & cum clamavero, exclusit orationem meam*: omnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat, sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem, ut purgetur vita per pœnam; & quietis tranquillitas, quia hic inveniri non valet, alibi quæratur: sed hanc dispositionis gratiam nonnulli etiam fidelium ignorant. (*In Lament. Jerem. Lib.* 2. *cap.* 3.) Cur Deus non semper orantes exaudiat.

S. HIERON.

De superfluis danda eleemosyna. XXI. *Habentes victum & vestitum iis contenti simus:* & quidquid supra habere possumus, in pauperibus nutriendis consumamus. (*In Ecclesiastem in cap. 3.*)

Deus cor offerentis respicit. XXII. Dominus non ea quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium. (*In Amos, cap. 5.*)

A lapsu in peccata cavendum. XXIII. Multo melius est non habere vulnera, & medico non egere. Curatio, non beatitudo sanatorum est, sed solatium post dolorem. Igitur qui curatus est, caveat ne iterum peccet. (*In Michea cap. 7.*)

Sequendus J. C. crucifixus. XXIV. Cui mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum. (*Lib. 3. in cap. 16.*)

Deus Rex Justorum. XXV. *Rex meus, & Deus meus:* quia regnas in me, & non regnat peccatum, propterea Rex meus es. Tu es Deus meus, quia non est venter Deus meus, quia non est aurum Deus meus. (*In Psal. 5.*)

Quot modis peccata dimittantur. XXVI. Tribus modis remittuntur peccata. Remittuntur per Baptismum, teguntur per caritatem, non imputantur per Martyrium. (*In Psal. 31.*)

Cor dilatandum. XXVII. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Ipse est & Dominus, & panis. Quantumcumque dilataveris, tantum accipies. (*In Psal. 80.*)

CA-

CAPUT XIV.

SELECTA AXIOMATA

S. PAULINI

Nolani Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris (a).

I. FORTIUS est, manentibus, quam alienatis rebus carere, & spernere quod habeas, quam non habere quod spernas. (*Epist.* 2. *ad Severum.*)

[illegible] S. PAULINI. Bona spernenda.

II. Quæ nobiscum non intuleramus in hunc mundum, nec poteramus auferre nobiscum, quasi mutuata reddimus: nec ut cutem a carne distraximus, sed ut vestem a corpore deposuimus. Nunc opus est, ut quæ vere nostra sunt, dependamus Deo, hoc est, cor, & animam, & corpora nostra exhibentes in hostiam vivam. (*Ibidem.*)

Deo nos & bona nostra offerenda.

III. Tota huius mundi figura, quæ præterit, & per oculos corda prodelectat, zabulicis prætenta retibus, in qualibet sui specie laqueus mentis, & gladius est. (*Ibidem.*)

Diabolus in Creaturis laqueos ponit.

IV. Evacuemur nostris viribus, ut divinis impleamur. (*Ibidem.*)

In solo Deo fidendum.

V. Ornet mulieres Christi gratia, non capilli; castitatis gemma non lapidis, & operum in his non odorum fragret unguentum. Meminerint esse se filias *illius filiæ regis, cujus gloria omnis ab intus est.* (*Epist.* 4. *ad Sever.*)

Virtus ornatus mulieris.

VI. Mundus nos non amat, sed amat Christus; homo negligit, sed Deus diligit. (*Epist.* 5. *ad Sever.*)

Si mundus nos odit, Deus nos amat.

VII. Imitando imitatorem Christi perveniemus ad imitationem Dei. (*Ibidem.*

Sancti imitandi.

VIII. Quomodo aliter putas Christum sequendum, nisi lege, qua docuit, & forma, quam prætulit? (*Ibidem.*)

Christi sectanda vestigia.

IX. Nihil habemus, nisi Christum; & vide, si nihil habeamus, qui omnia habentem habemus. (*Ibidem.*)

Omnia in Christo possidemus.

X. Quo nobis gratiam mundi, quæ est odium Christi? (*Epist.* 6. *ad Sever.*)

Mundi amicitia non quærenda.

XI. Utinam digni habeamur, qui maledicamur, & notemur, & conteramur, atque etiam interficiamur in nomine Christi, dummodo non ipse Christus occidatur in nobis. (*Ibidem.*)

Honor est pro Christo dedecus pati.

XII.

(*a*) Natus est D. Paulinus Burdigalæ circa annum 354. Consul Romanus anno 378 & Episcopus Nolanus anno 409. obiit 22. Junii anno 431. ætatis suæ 78.

S. PAULINI. XII. Proximus infideli eſt, qui mortuam ſine operibus fidem, vacuo Chriſtiano nomine gerit. (*Epiſt.* 20. *ad Amandum*.)

Fides mortua parum ab infidelitate diſtat.

Vita mundi mors eſt. XIII. Vita hujus mundi amica mors animæ eſt. (*Epiſt.* 22. *ad Amand.* 2.)

Pati pro Chriſto. XIV. Non licet ut ſervi, pro Domino recuſemus pati, quæ pro nobis ſervis ſuis Dominus ante ſuſtinuit. (*Epiſt.* 38. *ad Aprum* 1.)

Tepiditas vicina morti. XV. Vicina morti labes eſt torpor animarum. (*Epiſt.* 36. *ad Macar.*)

Dilectio Dei voluntatem implet. XVI. Grandem vim obtinet vera dilectio, & qui perfecte amatur, totam ſibi amantis vindicat voluntatem; nihil eſt imperioſius caritate. Nos ſi vere Chriſtum diligimus, ſi ejus nos redemptos ſanguine recordamur, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognovimus. (*Epiſt. ad Celantiam in Append.*)

Levia peccata timenda. XVII. Non cito ad majora delicta progreditur, qui etiam parva formidat. (*Ibidem.*)

Leve non eſt quod Deo diſplicet. XVIII. Neſcio an poſſimus peccatum aliquid leve dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Eſtque ille prudentiſſimus qui non tam conſiderat, quod juſtum ſit, quam illum qui juſſerit; nec quantitatem imperii, ſed imperantis cogitat dignitatem. (*Ibid.*)

Vita fideles ab infidelibus diſcernit. XIX. Inter Chriſtianum & gentilem non fides tantum debet, ſed etiam vita diſtinguere, & diverſam religionem per diverſa opera monſtrare. (*Ibidem.*)

Detractoribus non credendum. XX. Magis vitam tuam ordinare diſce, quam alienam carpere; & non modo ipſa non detrahas; ſed ne alii quidem detrahenti aliquando credas; nec obtrectatoribus auctoritatem de conſenſu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuendo. (*Ibidem.*)

Non pejerandum. XXI. Mentiri atque jurare lingua tua prorſus ignoret; tantuſque ſit in te veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. (*Ibidem.*)

CA-

CAPUT XV.

SELECTA AXIOMATA

S. JO. CHRYSOSTOMI

Archiepiscopi Constantinopolitani, & Ecclesiæ Doctoris (a).

I. PATET quod alteram vitam præsenti meliorem Deus parat: nisi enim hoc esset, improbos multos quidem per hanc vitam gaudere, justos vero multos in plurimis ærumnis numquam dimisisset. Sed quoniam præparatum est sæculum aliud, in quo secundum meritum, huic quidem improbitatis, illi vero virtutis præmia reddere debet; propterea sinit hunc quidem affligi, illum vero deliciis in dies diffluere. (*Homil.* 1. *ad Pop. Antioch.*) S. Jo. Chrys. In altera vita merces expectanda.

II. Novas tribulationum dicere causas possumus; quod tribulatio probatiores faciat tribulatos.... & si aliquas habeamus maculas, hic eas deponimus... coronæ, & præmia nobis augentur. Quantum enim tribulationes intenduntur, tantum, & retributiones ampliabuntur; imo vero & multo plus: *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. (*Ibidem*.) Tribulationum utilitas.

III. Nullum gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemia pejus nihil. (*Ibidem*.) Contra blasphemos.

IV. Non hic tibi retributiones, sed in futuro sæculo omnia præclara Deus promisit. (*Ibidem*.) Retributio post mortem.

V. Non mala res divitiæ, sed mala cupiditas: aliud avarus, & aliud dives. Avarus non est dives, quippe multis indiget. Avarus custos est, non dominus pecuniarum; servus, non possessor... dives est non qui multa possidet, sed qui multa largitur. (*Homil.* 2.) Quis dives, quis avarus.

VI. Sæpius risi testamenta legens dicentia: ille quidem habeat agrorum, vel domus dominium, usum vero alius. Omnes enim usum habemus, dominium nemo: etsi enim nobis per totam permaneant vitam, velimus, nolimus, in fine aliis credimus, ipsarum usu solo decerpto, dominio autem orbati ad illam vitam migrantes. (*Homil.* 2.) Nullum dominium rerum.

VII.

(a) S. Joannes cognomento Chrysostomus Presbyter Antiochenus, postea Episcopus Constantinopolitanus floruit anno 370. factus Episcopus anno 398. exul obiit 407.

S. Jo. Chrys.

Contra murmuratores.

VII. *Audisti sermonem*, inquit, *moriatur in te*: quid est, *moriatur in te?* extingue ipsum, defodito, nec exire, neque penitus moveri permittas: sed maxime stude, nec alios quidem dicentes male, tolerare: quod si quando & susceperis, infodito; interime dictum, oblivioni trade, ut his qui non audierint similis fias, & cum multa pace, & securitate præsentem transfigas vitam. (*Homil.* 3.)

Contra delatores.

VIII. Si delatores didicerint, quod magis ipsos, quam accusatos aversemur, & ipsi tandem ab hac mala consuetudine desistent; & peccatum corrigent, & laudabunt post hæc, & nos ipsos, suos salvatores factos, & benefactores prædicabunt. (*Ibidem.*)

Vitæ stabilis mutatio.

IX. Non duobus, aut tribus diebus supplicasse nobis ad defensionem sufficit; sed vitæ mutationem fieri oportet, & a malitia desistentes in virtute permanêre continue; sicut enim ægrotantes, nisi semper ordinate vixerint, nulla ipsis disciplinæ per tres, aut quatuor dies servatæ utilitas; sic & peccantes, nisi semper sobrii sint, nihil ipsis proderit duorum, vel trium dierum correctio. (*Ibidem.*)

Vigilantia contra tentationes.

X. Si continuo vigiles, & sobrius sis, eris omni tribulatione superior.. Non enim tentationum natura, sed tentatorum segnities ruinas efficere solet. (*Homil.* 4.)

Mors non timenda.

XI. Vultis dicam unde timemus mortem? non vulnerat nos regni amor, non nos futurorum amor accendit; alioquin præsentia despiceremus omnia, sicut beatus Paulus. (*Homil.* 5.)

A juramentis cavendum.

XII. *Ne juraveris*; noli causas amplius a me requirere. Lex est regia, qui tulit ipsam, & ipsius rationem novit; nisi fuisset utile, non prohibuisset. (*Homil.* 16.)

Jejunium vere utile.

XIII. Non hoc est expedivisse jejunium si tempus prætericrimus; sed si transegerimus cum recte factis. Hoc supputemus, si studiosiores facti sumus, si defectum aliquem nostrum correximus, si abluimus crimina. (*Ibidem.*)

Pejeratores corrigendi.

XIV. Tu si cæcum quidem in voraginem decidentem videris, manum porrigis; videns autem quotidie omnes præcipitari fratres in improbam juramentorum consuetudinem, ne verbum audes proferre? Sed dixisti semel, & non audivit: dic igitur & bis, & ter, & toties donec persuaseris. Nobis quotidie loquitur Deus, & non audimus, nec alloqui desistit: hanc tu curam imitare circa proximum. (*Ibidem.*)

Jejunium pœna peccatorum.

XV. Multos vidi gaudentes, & inter se dicentes, jejunii dimidium consumptum est. Tales hortor considerare, si peccatorum sit consumptum, & profligatum dimidium, & tunc exultare. (*Homil.* 18.)

Vera Pœnitentia.

XVI. Pœnitentiam agens non amplius eadem attingit negotia quorum pœnituit; propterea jubemur dicere: abrenuntio tibi Satana, ne amplius ad ipsum revertamur. (*Homil.* 21.)

Pax fraterna Eucharistiæ præmittenda.

XVII. Ecce prædico, & contestor, nemo qui inimicum habet, ad sacram mensam adeat, & corpus Christi accipiat..... imo non ego,

ego, sed potius Dominus propter nos crucifixus, ista dicit. Ipse ut reconciliaret te Patri, ne mactari quidem recusavit, & sanguinem effundere, tu autem ut reconcilieris conservo, nec verbum vis emittere aut prior accedere? audi quid loquatur Dominus: *si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te*: non dixit, expecta donec ille veniat ad te, aut ut aliquo intercessore reconciliationem instituas, sed tu ipse, inquit, ad illum accurre: *Vade prius reconciliari fratri tuo*. O factum incredibile! ipse non accipit pro ignominia quod donum sibi destinatum relinquitur, & tu contumeliam putas, si prior habeas ad reconciliationem? Dic, quæso, quæ venia debetur istis rebus? (*Homil.* 22.) S. Jo. Chrys.

XVIII. Non valida consuetudinis excusatio; cur non prætendit fur consuetudinem, & a supplicio liberatur? (*Ibidem.*) Consuetudo non excusat.

XIX. *Si dexter oculus offenderit te, extrahe eum, & abjice abs te*; hoc nempe præcepit, ut amicos, quos æque ac oculos caros habes, & ad omnem vitæ usum necessarios, si ad animæ salutem impedimentum afferant, amputes, & abjicias. (*Homil.* 32. *in observantes novil.* 2. 5.) Scandala averruncanda.

XX. Etiam si spirituale aliquid fuerit, si tamen propter Deum non fiat, cum primis illum lædit, qui facit. Quemadmodum si aliquid sæculare fiat, modo propter Deum fiat, admodum adjuvat eum, qui cum religiosa mente id facit. (*Ibidem.*) Omnia propter Deum facienda.

XXI. Scio fore ut quam plurimi apud nos ex festi consuetudine ad sacram hanc mensam accedant. Sane quidem expediret, ut festa nequaquam observarentur ad communionem, sed ut conscientia mundaretur, ac tum sanctum istud sacrificium attingeretur. Qui enim piacularis est, & immundus, ne in festo quidem æquum est, ut sanctæ illius, ac tremendæ carnis particeps fiat: qui vero mundus est, & accurata pœnitentia delicta abstersit, cum in solemnitate, tum semper dignus fuerit, qui divinis mysteriis communicet, ac Dei donis perfruatur. (*Homil.* 24. *de Baptismo Christ.*) Quando ad sacram mensam accedendum.

XXII. Orare vel domi possumus, dicunt, sed homiliam, doctrinamque audire non nisi in Ecclesia possumus. Te homo decipis, & magno in errore versaris: nam etsi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut tam bene domi ores, quam in Ecclesia, ubi clamor felici societate excitus, ad Deum immortalem refertur: non pariter exoras, cum solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio amoris, & caritatis, sacerdotum preces, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in Cælum evehantur. Adde quod nil fructus capi ex homilia potest, nisi oratio adjungatur. (*Homil.* 28. *de incompreh. Dei nat. Orat.* 3.) Oratio communis utilior.

XXIII. Tempore illo non solum homines clamorem illum tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Ar- Reverentia ad Eucharistiam.

chan-

[redacted]changeli orant; habent sibi tempus idoneum; habent sacram illam oblationem in favore. (*Ibidem*.)

S. JO. CHRYS.

Caritas præcipua virtus.

XXIV. Non dixit Christus ad Petrum: abjice pecunias, jejunium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, sed dicit illi: *si diligis me, pasce oves meas*. (*Homil.* 31. *de beato Philogonio*.)

Caritas proximi.

XXV. Nihil perinde declarat quis sit fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem. (*Ibidem*.)

Orationis necessitas & utilitas.

XXVI. Oratio portus tempestate jactatis, fluctuantibus anchora, scipio titubantibus, pauperum thesaurus, divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis... qui diligenter potest orare, licet sit omnium pauperrimus, tamen omnium est ditissimus; at qui oratione rursus destitutus est, licet in ipso regio trhono sedeat, omnium est pauperrimus. (*Homil.* 32. *de consubst.*)

Utilitas ex frequentatione Ecclesiæ.

XXVII. Non tantum ex admonitione, sed etiam ex precibus, ex paterna benedictione, ex communi conventu fratrumque caritate, atque aliis sexcentis & rebus, multa utilitate atque omni oblectatione percepta solet discedere, atque innumera bona domum reportare. (*Homil.* 46. *in Sanct. Lucian. Mart.*)

Pompis abrenuntiandum.

XXVIII. Adest Diabolus a meretriciis cantilenis, a verbis obscœnis, a diabolica pompa vocatus. At tu omni hujusmodi pompæ nuntium remisisti, teque Christi cultui mancipasti die illo, quo sacris mysteriis dignus habitus es. Recordare itaque verborum illorum, pacti conventi, & ne illud violes, cave. (*Homil.* 47. *in S. Julian.*)

Pœnitentiæ mensura.

XXIX. Non tempus æstimatur, sed pœnitentis mores peccatum extinguunt. Fieri potest, ut qui multo exacto tempore salutem non impetraverit, repentino momento, si fuerit vere confessus, a peccato solvatur. (*Homil.* 55. *de pœnit.* 5.)

Pax servanda.

XXX. *Pacem sequimini cum omnibus*, & *sanctificationem*, *sine qua nemo videbit Deum*. Qui autem videre dignus non est, neque communione dignus est Dominici corporis. (*Homil.* 56. *de pœnit.* 8.)

Eleemosyna commendatur.

XXXI. Pretium redemptionis animæ est eleemosyna. Quemadmodum pelves, & lavacra cum aqua sunt, quo manus laves: sic & pauperes pro foribus Ecclesiæ sedent, ut animæ manus abluas. (*Homil.* 57.)

Perseverantia in Oratione.

XXXII. Habes pœnitentiæ viam opportunam... Ora per singulas horas, neque orans deficias, neque negligenter Dei clementiam implora: non repellet te perseverantem, sed peccata dimittet, & petita concedet. Orans quidem, si exauditus fueris, permane gratias agens in oratione; non exauditus, mane orans, ut exaudiaris. Neque dixeris, multum oravi, atque haud exauditus sum: etenim vel id sæpe tuæ utilitatis fit gratia. (*Homil.* 57. *de pœnit.* 9.)

Perditio animarum.

XXXIII. Stantem confidere, & jacentem desperare, perditio animarum est. (*Homil.* 58. *de pœnit.* 10.)

XXXIV.

XXXIV. Vitæ diligentiam, & puritatem nihil ſic efficit, ut continua in templis converſatio, & ad Dei verbum audiendum ſtudium alacre. Quod enim corpori eſt cibus, hoc animæ divinorum eloquiorum doctrina; hinc & famem inducere ſolet, quod huic menſæ non communicetur... *dabo eis non famem panis, ſed famem audiendi ſermonem Domini*... præferatur hoc ſtudium occupationibus & curis omnibus... habere & pueros vobiſcum. (*Homil. 59. contr. Anom.*) S.Jo.Chrys. Verbum Dei aſſidue audiendum.

XXXV. Quicunque Deum non precatur aſſidue, neque divino colloquio frui cupit, mortuus eſt. Illud eſt enim maximum ſtuporis ſignum, ſi honoris hujus magnitudo ignoratur, ſi precatio non amatur, ſi non animæ mors exiſtimatur Deum precando non venerari. (*Homil. 67. de precat.* 1.) Orationis neceſſitas.

XXXVI. Fieri non poſſe, ut ſine precibus vita cum virtute ducatur, perſpicuum eſſe omnibus exiſtimo... non enim minus quam arbores aquis, illis nos indigemus univerſi. Neque illæ poſſunt eſſe fructuoſæ, niſi humorem radicibus ebibant; neque nos pretioſiſſimas pietatis fruges fundere, niſi precibus irrigemur. Quamobrem, & cum lectulo ſurgimus antevertere ſolem oportet Dei cultu; & cum menſæ accumbimus, & cum ſomni cauſa cubamus: imo vero ſingulis horis precatio eſt ad Deum adhibenda, & in ea diei curſus conficiendus. Hiberno vero tempore plurimam noctis partem in precibus traducamus. (*Ibidem.*) Idem.

XXXVII. Angeli ora, pedeſque tegentes cum laudes, & cultum Domino adferunt... nos, ut opinor, admonent, ut precandi tempore humanæ naturæ obliviſcamur, atque veneratione, ac timore perculſi nihil ante oculos poſitum aſpiciamus; ſed in medio Angelorum choro nos eſſe, & eumdem, quem illi cultum Deo nos perſolvere arbitremur. (*Homil. 68. de precat.* 2.) Qua mente orandum.

XXXVIII. Quid ſanctius iis, qui Dei conſuetudine perfruuntur? quid juſtius, ornatius, ſapientius? nam ſi ii, qui ſapientibus hominibus familiariter utuntur, ex aſſidua conſuetudine, illorum prudentiæ participes celeriter fiunt: quid de iis dicendum, qui divina conſuetudine fruuntur, & cum Deo ipſo colloquuntur?.... itaque non ſane is aberrat, qui omnis virtutis, juſtitiæque matrem eſſe precationem affirmet. (*Ibidem.*) Idem.

XXXIX. Precatio Eccleſiæ firmiſſimus murus; terrori dæmonibus, piis ſaluti. (*Ibidem.*) Idem.

XL. Peccator, inquis, ſum, idcirco feſto diei occurrere non poſſum. Maxime, inquam, ob hanc cauſam occurrere debes diei feſto, ut juſtus efficiaris. At ſi juſtus es, occurrere, ne a juſtitia excidas. Et quiſnam ex hominibus, quæſo, ſine peccato eſt? (*Homil. 69. in Sanctos Petrum, & Eliam.*) Dies feſti ſanctificandi.

XLI. Quî fieri poteſt, dicet aliquis, ut Martyrem imitemur, non enim perſecutionis eſt tempus? Non perſequuntur homines, at perſequuntur dæmones... Non objectas prunas conſpicis, at cupiditatis conſpicis flammam accenſam: illi prunas calcarunt; tu na- Imitatio martyrum.

[redacted] S. Jo. CHRYS. turæ pyram calca: illi cum bestiis pugnarunt, tu iram indomitam belluam fræna. Illi adversus intolerabiles dolores steterunt: tu absurdas, pravasque cogitationes, quæ in corde tuo pullulant, vince; ita martyres imitabere. (*Homil.* 73. *de S. Barlaam.*)

Idem. XLII. Martyres contempserunt vitam, contemne tu delicias; projecerunt illi corpora in ignem; projice tu pecunias in pauperum manus: prunas illi calcarunt; tu cupiditatis flammam extingue. Laboriosa sunt ista, & difficilia, sed utilia admodum, noli præsentia acerba spectare, sed jucunda futura. Non quæ in manibus mala, sed quæ in spe bona: non passiones, sed præmia: non labores, sed coronas: non ignem urentem, sed propositum regnum: non carnifices circumstantes, sed Christum coronantem. (*Homil.* 74. *de SS. Martyr.*)

Ex Homiliis super Matthæum.

Membra Deo serviant. XLIII. Et oculos, & os, & auditum propterea posuit in nobis Deus, ut omnia ipsi membra servirent: ut quæ ipsius sunt, audiamus; quæ ipsius loquamur; quæ ipsius semper operemur. (*Hom.* 2. *in cap.* 1. *S. Matthæi.*)

Scripturæ bona. XLIV. Scriptura nutrimentum animæ, hoc ornamentum, hoc securitas. (*Ibidem.*)

Auditio Verbi Dei. XLV. Et quid, ais, lucri est, quando quis audit, & non accedit ad implenda quæ dicta sunt? Non parvus est etiam ex ipso auditu profectus, nam qui audit, & semetipsum reprehendet, sæpe & ulterius ingemiscet, & eo quandoque perveniet, ut studeat etiam implere quod didicit. (*Ibidem.*)

Peccatorum memoria. XLVI. Quid ais tu, cum quotidie offendas Dominum, nihilominus deliciaris, ac rides; & inter magna peccata, nec te peccasse nosti, oblivioni cuncta tradendo. solam vero recte factorum non potes abjicere memoriam? (*Homil.* 3.)

Benef. facta non recolenda. XLVII. Satis certus recte factorum est thesaurus, ipsa recte factorum oblivio. (*Ibidem.*)

Humilitas commendadatur. LXVIII. Minimum de se sensisse tam magnum est, quam maximas res fecisse: quod si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles. (*Ibidem.*)

Idem. LXIX. Suscipe quod revelatum est, & noli curiose indagare quod tacitum est. (*Homil.* 4.)

Audita in Templo domi recolenda. L. Unde vobis accidit talis mutatio? de conversatione nimirum parum attenta, & vitiosorum hominum assiduo.... pestiferoque colloquio. Non enim oportebat a cœtu Ecclesiæ recedentes contrariis huic studio negotiis implicari: sed domum continuo revertentes sacros replicare libros, & conjugem pariter liberosque ad eorum quæ dicta sunt collationem vocare, hisque altius animo insertis, tum demum ad hæc, quæ huic vitæ sunt necessaria, curanda procedere. (*Homil.* 5.)

LI.

LI. Ab ipsis initiis ad tentationes, atque insidias debemus præparari. Ab ipsis incunabulis Christi .... tyrannus contra eum furit. (*Homil.* 8.) *Præparatio ad tentationes.*

LII. Scias tribulationes maximas, spirituales consequi actiones, & tentationes inseparabiles esse comites virtutum. (*Ibidem.*) *Idem.*

LIII. Misericors Deus mœstis rebus quædam jucunda permiscet: tum ex adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexens. (*Ibidem.*) *Rerum humanarum varietas.*

LIV. Pœnitentiam dico non solum, ut a malis prioribus desistamus, verum etiam ut bonorum operum fructibus impleamur. *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ*. Quo autem modo? Si utique peccatis adversa faciamus. (*Homil.* 10.) *Pœnitentia qualiter agenda.*

LV. Nolle quando tribulationes auferri oporteat, illius est, qui eas permisit inferri. Illatas vero cum omni gratiarum actione tolerare nostræ opus est æquanimitatis. (*Ibidem.*) *Tribulationes tolerandæ.*

LVI. Non ultro in eremum, sed a Sancto Spiritu ductum esse commemorat; ut nos apertissime signatum esse videamus, quia non sponte nos oporteat in tentationes insilire; sed si contracti fuerimus, viriliter repugnare. (*Homil.* 13. *in cap.* 4.) *Tentationibus obsistendum.*

LVII. Adamum de Paradiso intemperantia ventris ejecit; diluvium sub Noe ista commeruit; & fulmina in Sodomitas ipsa deduxit. (*Ibidem.*) *Intemperantia perniciosa.*

LVIII. Quomodo Lucas ait, quod omnem tentationem consummaverit? quia præcipua capita tentationum enumeravit.... hæc enim sunt, quæ in se mala innumera comprehendunt, servire ventri, inanis appetitu gloriæ quippiam facere, ac furioso pecuniarum amore superari. (*Ibidem.*) *Innumera vitiorum mala.*

LIX. Nihil sic diabolo hominem subjicit, ut inhiare opibus, atque habendi amore superari; idque ex his, quæ nunc fiunt, facile doceri potest. (*Ibidem.*) *Contra avaritiam.*

LX. Quem diligit Dominus corripit, quando ergo prosperitate fruimur, & in malignitate vivimus, tunc magis nobis est dolendum. Nam semper quidem nos oportet metuere peccantes; maxime autem cum nihil triste perpetimur. Quando enim per partes ab unoquoque nostrum Deus pœnas exigit, leviorem nobis ipsam animadversionem facit. Quando autem patientius nostra videtur dissimulare delicta, ad maximam nos in talibus permanentes pœnam reservat. (*Ibidem.*) *Deus quos amat corripit.*

LXI. Si justis necessaria afflictio, quanto magis peccatoribus? (*Ibidem.*) *Afflictio omnibus utilis.*

LXII. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Non dixit, qui justitiam servant, sed qui esuriunt, & sitiunt; ut non utique mediocriter, sed cum omni cupiditate illam teneamus. Sicut enim avaritia non tam acriter cibum, aut potum desiderat, quam possessiones; ita concupiscentiam istam jubet in meliora converti. (*Homil.* 15.) *Justitiæ fames & sitis qualis.*

S. Jo. Chrys.

Virtus ab omnibus laudatur. LXIII. *Væ vobis cum benedixerint vobis omnes homines*. Certe Apostolis benedicebant homines, sed non omnes: & idcirco non ait, cum benedixerint vobis homines, sed cum benedixerint *omnes*. Hoc est enim impossibile, cum virtute viventibus ab omnibus benedici. (*Ibidem*.)

Magistris prudentia necessaria. LXIV. Non vos tantummodo volo esse sapientes, sed ut tales faciatis & cæteros: hujusmodi autem magistros, in quibus tantorum periclitatur salus, maxima certe decet pollere prudentia, tantasque illi adesse divitias, ut aliis quoque impertiant. (*Ibidem*.)

Virtus aspera, vitia dulcia apparent. LXV. Quandiu in vitiis permanemus, asperam atque difficilem omnino opinamur esse virtutem; ipsa vero vitia desiderabilia prorsus, ac dulcia. Sin autem vitia vel brevi tempore deseramus; tunc ea horribilia, & turpia esse conspicientur, & virtus delectabilis apparebit, & facilis. (*Homil.* 16.)

Custodia oculorum. LXVI. *Noli addiscere pulchritudinem alienam*. Quid si inspiciam, nec tamen capiar? Cohibuit aspectum, ne hujusmodi licentia fidens, etiam in peccatum quandoque corrueres. (*Homil.* 17.)

Contra ornatum mulierum. LXVII. Si qua mulier ideo comitur, & ornatur, ut in se oculos omnium irritet, etiamsi nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia: paravit quippe venenum, porrexit poculum, etiamsi nullus, qui biberet, est inventus. (*Ibidem*.)

Patientiæ utilitas. LXVIII. Nihil ita lædentes coercet, ut patientia, modestiaque læsorum: nec secuturum modo coercet impetum, sed de præcedente exigit pœnitentiam. (*Homil.* 18.)

Gradus perfectionis. LXIX. Quantis ad perfectionem gradibus ascendendum docuerit Christus, considera. Primus est gradus, ne prior injuriam ordiare; 2. ubi est injuria cœpta, ne par pari referas, sed quiescas: 3. ut etiam præbeas teipsum ad injuriam sustinendam; 4. ut etiam ad majora te præbeas, quam ille vult, qui fecit; 5. non odisse a quo ista perpeteris; 6. etiam diligere lædentem; 7. beneficiis quoque eum afficere; 8. etiam Deum pro adversario deprecari. Perspexisti celsitudinem Christianæ Philosophiæ: & idcirco jam tam claro est digna præmio, quia tam magno est subjecta præcepto. (*Ibidem*.)

Salutatione prævenire utile. LXX. Cujus gratia obvium salutatione non prævenis? quia, inquis, hoc expectat. Et quid hac dementia deterius? quia, inquis, ille factus est mihi mercedis occasio, nolo hanc accipere occasionem. Si enim ille te salutet prior, nihil tibi proficiet etiamsi tum salutaveris. Si vero tu prius ad salutandum properes, lucrum de illius tumore cepisti, & largissimum quemdam fructum de illius superbia etiam messuisti. (*Ibidem*.)

Misericordia Dei commendatur. LXXI. Misericordiam Dei cum admiratione considero, qui pro his, quæ a nobis rogatur bonis, mercedem se pollicetur daturum. (*In cap. 6. Homil.* 19.)

Dei beneficia in vocatione, LXXII. Qui Deum Patrem appellavit, & veniam peccatorum, & pœ-

& pœnarum interitum, & justificationem, & sanctificationem & liberationem, & filiorum adoptionem, & hæreditatem Dei, & fraternitatem cum Unigenito, & Sancti Spiritus dona largissima uno sermone confessus est. Impossibile est enim Deum Patrem vocari ab eo, qui non omnia hæc bona fuerit consecutus. (*Ibidem.*) S.Jo.Chrys.

LXXIII. Non dicit, *Pater meus*, sed *Pater noster;* pro communi scilicet corpore precem fundens, & ubique non tam propria commoda, quam proximorum petens, quo quidem ipse & inimicitias interimit, & superbiam reprimit, & explodit invidiam, & introducit matrem bonorum omnium caritatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorsus expellit, & miram regis cum paupere honoris æqualitatem ostendit, siquidem in maximis, & ad æternam gloriam necessariis communione omnes sociemur. (*Ibidem.*) Cur dicamus Pater noster, non meus.

LXXIV. Cum nobis, & curantibus, & non curantibus præstat Deus, imo tunc magis quando nihil hinc omnino curamus: quid tibi amplius sollicitudo præstabit, nisi quod superfluam a te exigit ultionem? (*Homil.* 23.) Sollicitudo fugienda.

LXXV. Cur cogis diem plusquam ipse fortitus est, afflictionis accipere; & supra proprios ejus labores etiam ei sequentis diei pondus imponis? & hoc cum nihil illius adjectione fascis, alterius diei leviora sis onera facturus laborum, sed tantum aggregaturus labores nequicquam. (*Ibidem.*) Idem.

LXXVI. Non est aliquod, non est omnino peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti, aut potius gratiæ Dei, qui cum ad meliora convertimur, continuo nobis cooperator efficitur. (*Ibidem.*) Pœnitentia delet peccata.

LXXVII. Accedamus ad Deum opportune, & importune: imo nunquam contingit importune accedere: importunum est quippe, si non assidue eum adeamus. Eum qui cupit semper largiri, semper opportune oramus. (*Ibidem.*) Ad Deum accedendum.

LXXVIII. Sicut respiratione hac jugiter indigemus, ita etiam eo quod a Deo præstatur auxilio. Quod si voluerimus, facile ad nos poterimus attrahere. (*Ibidem.*) Dei auxilium implorandum.

LXXIX. Videtur, quod una sit pœna comburi: si vero aliquis diligenter expendat, duplex hoc invenit esse suplicium. Qui enim in gehenna uritur, cœlorum etiam regnum amittit: quæ certe pœna major est, quam cruciatus ille flammarum. (*Homil.* 24.) Pœna inferni.

LXXX. Non est lusus hæc vita; imo lusus est quidem vita præsens, sed non est lusus etiam futura. Non enim tendit ad risum, sed intolerabilem iis afferet dolorem, qui mores suos non mature instituunt. Quo enim distamus a pueris per ludum casulas ædificantibus, nos qui ampla, & clara prætoria constituimus? nulla differentia, nisi quod nos sæpe ad supplicium nostrum faciamus, quæ illi imitantur ad ludum. Quod si necdum eorum, quæ agimus, vilitatem perspicimus, non est profecto mirandum. Nondum venimus ad maturitatem virorum, quo cum venerimus, intelligemus hæc omnia esse puerilia... Nam & testas, & lutum aggerentes Lusus vita nostra.

tes cum pueri essemus, non minus gloriabamur, quam hi, qui certatim amplas porticus gaudent construere. Verum peribant illa, nec flantia quidem nobis utilia esse potuissent; sicut nec istæ splendidæ domus, quæ certe jam Cœli civem capere non possunt... ut nos pedibus ludicra illa ædificiola plerumque destruimus, ita hæc sapienti ille mente subvertit; & sicut nos parvulos de illa flentes destructione ridemus; sic isti quoque nobis de hac subversione mærentibus, non modo rident, sed etiam flent. (*Ibidem*.)

S. Jo. Chrys.

Opera misericordiæ laudabilia.

LXXXI. Duo fingantur, quorum unus agros coemat, & servos, & quantacunque sunt talia, nullaque ad hæc iniquitate ducatur: alter vero æqualiter locuples vendat agros, domus, vasa argentea, & aurea, atque horum omnium pretium indigentibus largiatur, curet ægrotos, in necessitate positos absolvat, alios vinculis eximat, alios eripiat de metallis, alios egestatis impatientia ad laqueum convolantes in vitæ amorem reducat; liberet de servitute, ac morte captivos: de cujus vos tandem esse parte malletis? & certe nondum futura dicimus, sed interim ista præsentia. Cujus, inquam, similes esse malletis, congregantis aurum, an plurimorum pericula submoventis? ementis agros, an hominibus diversa calamitatum tempestate vexatis, semetipsum portum parantis? multo auro circumdati, an mille laudibus coronati? nonne hic videtur Angeli alicujus similis, qui de Cœlo ad consolationem, emendationemque hominum descenderit? alter vero nec homini conferendus, sed cuipiam parvulo vane cuncta, & inaniter congreganti? (*Ibidem*.)

Gratitudo exercenda.

LXXXII. *Grati estote*. Optima quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio. Propterea reverenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, idest gratiarum actio, nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos caritatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exolvere. (*Homil. 26. in cap. 8.*)

Beneficia Dei maxima.

LXXXIII. Unigenitum pro nobis Filium dedit, & quidem cum adhuc essemus inimici. Nec solum dedit, sed & nostram fecit esse mensam: omnia faciens ipse pro nobis, & donando videlicet, & gratiarum actores ipsa donorum suorum ubertate faciendo. Quia enim in multis homo existit Deo ingratus, ipse ubique suscipit vicem nostram, & ea, quæ ad nos pertinent per divitias suæ dispensationis operatur. Quod pro Judæorum salute faciebat festivitatibus variis, illos in memoriam suorum beneficiorum reducens; id nunc magno cum cumulo est operatus, ipso genere sacrificii ad jugem nos pro suis beneficiis gratiarum incitans actionem. (*Ibidem*.)

Pax & unio inter fideles commendatur.

LXXXIV. Communicamus eadem mensa spiritali, communicemus & spiritali charitate. Nam si latrones cum alteri alteris sale communicaverint, latrocinandi inter se ferocitatem deponunt; quibus nos rationibus excusabimus Domini corpori communicantes, & latro-

latronum consuetudinem atrocitate superantes, multis gentilibus, quoniam unius essent civitatis, satis fuit ad amicitiam: nos autem, qui ejusdem sumus civitatis, una nobis domus est, eadem mensa, eadem via, janua, radix, vita, idem caput, idem pastor, idem rex, unus magister, judex, conditor, pater, atque omnia nobis quadam æquali insunt communitate, qua erimus digni venia, si mente divisi alter alterum non diligimus? (*Ibidem*.) S.Jo.Chrys.

LXXXV. Cum recreare animum volueris, poteris hortos petere, fluentes rivos conspicere, ingentes lacus considerare, loca cernere amœna, volucres audire canentes, & in templis Martyrum conversari: unde præcipue tibi corporis sanitas tribuetur, ac ad animam tuam eximia perveniet utilitas, unde singularem capies voluptatem; quoniam nullum damnum, nullus dolor, nulla mæstitia consequitur. (*Homil.* 38.) Animi recreatio ubi quærenda.

LXXXVI. Si cum essemus inimici, reconciliati Deo sumus, multo facilius post reconciliationem salvabimur. (*Homil. in c.* 12.) Reconciliati salvabimur.

LXXXVII. Nec res parvas contemne, sed magnas etiam earum rationes repete. Hoc modo magna facilius evitabis delicta. (*Homil.* 43.) Parva peccata non spernenda.

LXXXVIII. Si non velis Christo omnia relinquere, dimidium saltem, vel tertiam partem ei trade. Frater tuus est, atque cohæres in regno Cælorum, fac eum etiam hic cohæredem; præsertim cum omnia, quæ ei præstas, ad te ipsum redundent, atque refundantur. (*Homil.* 46. *in cap.* 13.) Pars cum paupere dividenda.

LXXXIX. Docuit nos Christus exemplis suis non semper cum multis esse conversandum, neque semper multitudinem fugiendam, sed alterutrum esse faciendum, prout utilitas, ac necessitas exigit. (*Homil.* 50.) Multitudo fugienda.

XC. Divites non fabricare, nec ædificare, nec aliud hujusmodi artificium norunt. Illorum ars sit, ut divitiis recte, & ut decet, utantur. Non est certe ars illa contemnenda, qua discunt opulenti indigentibus conferre; sed aliis artibus est longe præstantior. (*Ibidem*.) Ars aliis præstantior.

XCI. Gratia accepta Apostoli ubique primatum Petro præbent; & in concionibus eum anteponunt, quamvis cæteris rudior videretur. (*Homil.* 51.) Primatus Petri.

XCII. Quænam utilitas est, si cum mensa ejus multis calicibus aureis ornatur, ipse inedia pereat? Prius igitur esurientem cum satura, deinde ex quadam superabundantia mensam ornabis... Nemo quia templa magnifica non condiderit, unquam accusatus est: at vero gehenna ignis inextinguibilis imminet, nisi diligenter ista peragere velis. (*Ibidem*.) Pauperibus subveniendum.

XCIII. Potes & urbes habitare, & monachorum philosophiam imitari. Potes & uxorem habere, & in magna familia versari, & orare, simul jejunare, atque compungi. Nam primi Apostolorum discipuli, urbes quidem habitabant, & eorum, qui in eremo conversantur, vitam vivebant. (*Ibidem*.) Bene operandum in omni loco & statu.

S. Jo. Chrys. Correctio fraterna repetenda. XCIV. Non exaudiet me, inquis, protervus ille. Unde id scis? an unquam emendare conatus es? Sæpius id, ais, feci. Dicas, oro, & semel, & bis me fecisse arbitror. O rem miram! Itane semel aut iterum sæpius tibi videtur? & si per totam vitam id fecisses, non oportuisset te labore victum defecisse. (*Homil.* 60. *in c.* 18.)

Verus amor proximi. XCV. Alius amat, quia redamatur, alius quia honore afficitur, alius quia sibi utilitati esse, aut fore hominem putat; Christi vero causa difficillime quemquam invenies, qui amicum, ut oportet, diligat: sed omnes fere sæcularium vinculo rerum inter se vinciuntur. (*Homil.* 61.)

Obtrectatores utiles. XCVI. Quanto plura obtrectator intulit, tanto benefactorem reipsa comperies eum, qui causam tibi præbuit, ut tuorum possis peccatorum sordes detergere. (*Homil.* 62.)

Parvæ omissiones perniciosæ. XCVII. Non solum universa vivendi disciplina, sed & parva ejus omissa pars, maxima damna intulit. Nam eleemosyna neglecta Virgines in gehennam detrudit.... Non maledicere quædam particula virtutis est, sed per eam foras ejiciemur... Humilitas similiter virtutis pars est, sine qua etiam si multa alia peragas, immundus eris apud Deum: quod Pharisæus omnibus patefecit, qui mille virtutibus affluens propter arrogantiam supernam felicitatem amisit... & non solum una pars virtutis omissa cælum nobis claudit, verum etiam si non congruenti studio peragitur, illud ipsum solet inferre. *Nisi enim superabundaverit*, &c. (*Homil.* 65. *in cap.* 20.)

Prælatorum munia. XCVIII. In optimo Prælato duo requiruntur, ut scilicet adversus seipsum nulla utatur venia, sed severum se judicem exhibeat: erga subjectos autem mitior, & ad dandam veniam pronior sit. (*Homil.* 73. *in cap.* 23.)

Divitiis salus in quo posita. XCIX. Et si dives es, mederi tamen tibi facile potest cælestis medicus. Non enim divitias e medio tulit, sed divitiis servire prohibuit. Quomodo igitur possibile est divitem salvari? si quæ habet communia illi cum indigentibus sint, qualem fuisse Job non ignoramus. Si cupiditatem superflui ab animo evellat; si ultra necessarium usum minime procedat. (*Homil.* 75.)

In Christo omnia habeatur. C. Quid huic liberalitati æquale unquam inveniri potest? ego ipse sum pater, ego frater, ego domus, ego sponsus, ego nutritor, ego vestis, ego radix, ego fundamentum. Quidquid volueris ipse sum: nulla re indigebis, ego tuus ero minister; veni enim non ut mihi ministretur, sed ut ego aliis ministrem. Ipse amicus sum, membrum, caput, frater, mater, universa ipse sum, dummodo mihi conjungaris, ego pauper propter te; in cruce propter te; in sepulcro propter te; patrem in excelsis pro te interpello, qui ad inferiora pro te a Patre missus descendi. Omnia tu mihi es, frater, cohæres, amicus, membrum. Quid vis amplius, quid aversaris amantem? (*Homil.* 77.)

Pauperibus dandum. CI. An forsan tua te credis habere? res pauperum tibi credita est;

est; etiamsi laboribus justis in te pervenerit. Num putas non potuisse Deum hac te privare pecunia? sed ideo non fecit, quia te dominum esse vult benignitatis erga pauperes. (*Homil.* 78. *in cap.* 26.) S. Jo. Chrys.

CII. Multo plura in sumptus inutiles eijcis, quam in eleemosynam impendas. Magnifica convivia excogitas: modo tu alios vocas, modo vocaris ab illis. Ita nunc tu consumis, nunc alios consumere cogis: & duplicem tibi paras cruciatum, alterum ab his, quæ tu facis, alterum ab his, quæ alii hortatu tuo faciunt. (*Ibidem.*) Idem.

CIII. Possunt duæ viæ maxime ad vitam perducere, quarum altera viatori dumtaxat, altera etiam proximo conducat. (*Ibidem.*) Duæ viæ ad vitam.

CIV. Habet unusquisque nostrum ovem; ad pinguia eam pascua ducat. Cumque a lecto pater familias se receperit, nihil aliud quærat, quam ut ea faciat, atque dicat, quibus incrementa religionis domui universæ adjiciat. Mater autem familias domum quidem custodiat, sed multo magis procuret, quomodo quæ ad cælos pertinent, universa familia operetur. (*Ibidem.*) Patris familiæ officia.

CV. Si in rebus sæcularibus nemo sibi vivit soli, sed tam opifex, quam miles, tam agricola, quam mercator ad communem utilitatem omnes conferunt, multo magis in spiritualibus id est faciendum: hoc enim maxime vivere est, aliis etiam prodesse. Nam qui sibi soli vivit cæteros negligens, & vita ejus supervacanea est, & ipse superfluus, nec homo, nec generis nostri. (*Ibidem.*) Nemo sibi soli vivit.

CVI. Non soli malefactores, verum & qui bona facere negligit, extremo cruciatur supplicio... qui talentum accepit, etsi depositum reddidit, condemnatus est tamen... talenta hic pro eo quod unusquisque facere potest accipimus, sive auctoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrina admonere, sive alia quapiam re proximis adesse queas. (*Homil.* 79.) Bonum omittere damnabile.

CVII. Nulla res Deo gratior est, quam ut universam vitam ad commune commodum conferas. (*Ibidem.*) Utilitas proximi quærenda.

CVIII. Melior est, qui mansuetudinis, & benignitatis verbis, ut Christus, loquitur, quam qui futura prædicit. (*Ibidem.*) Benignitas potior prophetia.

CIX. Quando bonum quicquam fieri videmus, etiamsi exactissime non fiat, suscipiendum tamen est, & favore nostro ad ulteriora provehendum. Non est enim exquisitissima ratio statim in principio rerum quærenda. (*Homil.* 81.) Favendum incipientibus.

CX. Si tu præparasse quosdam videris vasa sacra, aut ornatum quemdam alium circa parietes Ecclesiarum, & pavimenta confecisse, noli reprehendere, aut venundari jubere, aut destrui quod factum est, ne animum ejus, qui fecit, perturbes. Sin vero antequam fecerit te consuluerit, pauperibus offerre jubeto. (*Ibidem.*) Eleemosyna potior donis etiam sacris.

CXI. Argumentum divitis animi est, quod pecuniam despiciat, ac nulla re indigeat; & e contra paupertatis argumentum indigere, ac collectioni pecuniarum incumbere.... illud enim maxime Ex indigentia cupiditas.

cupi-

cupimus, quo maxime indigemus. Ex indigentia enim cupiditas o- riginem trahit. (*Ibidem*.)

S.Jo.Chrys.

Vitæ initium bonum sit. CXII. Si nihil sinceri, atque integri in prima ætate didicerimus; si juvenes modeste non vixerimus, nec avaritiam viri superaverimus, quasi in sentinam quandam ætatis in senectutem devecti, tempestatibus obruemur. (*Ibidem*.)

Fides necessaria in mysteriis. CXIII. Credamus ubique Deo, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit. Superet & sensum, & rationem nostram sermo ipsius: quod in omnibus, & præcipue in mysteriis faciamus; non illa, quæ ante nos jacent, solum aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus falli non possumus: sensus vero noster deceptu facillimus est... Quoniam ergo ille dixit, *hoc est corpus meum*, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis a Christo, sed rebus sensibilibus omnia tradidit insensibilia... nam si tu incorporeus esses, nude ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. (*Homil*. 83.)

Contra sacrilegos. CXIV. Non parvum supplicium indigne communicantes expectat. Summa indignatione adversus eos, qui Christum crucifixerunt, moveris: cave, ne tu quoque corporis, & sanguinis Christi reus efficiaris.... post tot, tantaque beneficia sordida suscipiens anima. Non enim suffecit ipsi hominem fieri, & crucifigi, sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed reipsa nos suum corpus efficit. (*Ibidem*.)

Idem. CXV. Qui mysteria sanctificat Christus ipse est, qui transmutat ipse est. Nullus itaque Judas adsit: qui discipulus non est, secedat; qui tales non sunt, ab hac mensa excluduntur. (*Ibidem*.)

Oratio seorsum facienda. CXVI. Consueverat Christus orare seorsum, ut nos erudiret quietem, ac tranquillitatem in orationibus diligenter appetere. (*Homil*. 84.)

Patientia victoria est. CXVII. In bellis quidem decertans, qui cecidit, is victus dicitur, apud nos vero is victor pronunciatur: nullibi certe male agentes, & ubique mala sufferentes superamus: illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiendo superasti. (*Homil*. 85.)

Minima mala cavenda. CXVIII. A minimis ad maxima gradatim Diabolus ducit; & inde ad desperationem detrudit; & hanc viam priore non minorem adinvenit. Non enim adeo peccatum, ut desperatio perdit. (*Hom*. 87. *in cap*. 27.)

Misericordia in pauperes. CXIX. Nihil interest sive huic pauperi, sive ipsi Christo dederis. Nihil enim minus habes his mulieribus, quæ tunc Christum alebant; imo vero, multo etiam majus. Non est enim æquale ipsum Dominum præsentem alere, cujus præsentia vel lapideum animum ad se attraheret, & propter ejus dumtaxat pauperes, mendicos, ægrotos alere, atque curare. (*Homil*. 89.)

Idem. CXX. Projicere non potes divitias, non cogo, sed obsecro, ut sal-

ſaltem particulatim indigentibus diſtribuas, nec pluſquam tibi opus ſit, exquiras. (*Ibidem Homil. 91. in cap. 28.*) a Jo Chrys.

Ex Homiliis in S. Joannem.

CXXI. Si quis poſſeſſionibus affluit, haud aliter his, quam colonus utatur: & tanquam paulo poſt, omnia, velit nolit, relicturus. (*Homil. in cap. 1. Evang. Joan.*) Bonis ſolum utendum.

CXXII. Non parum confert ad magnitudinem peccatorum imminuendam, frequens eorum memoria, & accuſatio. (*Homil. 6.*) Memoria peccatorum.

CXXIII. Nihil tam alienum a divino amore hominem reddit, quam ſuperbia. Nihil tam facile in gehennam detrudit, quam ſuperbiæ inſania, ſub qua omnis noſtra vita immunda eſt, quamvis pudicitia, virginitate, jejunio, orationibus, eleemoſyna, quamvis omni denique virtute præſtemus. (*Homil. 8.*) Superbiæ damna.

CXXIV. Non eos accuſo, qui domos habent, agros, pecunias, modo his bene utantur ad frugalitatem, & ut decet. (*Homil. 18.*) Frugalitas laudanda.

CXXV. Quæ inſania, ubi omnia ſine labore, ſine periculo aſſequi poſſumus, ſupinos, & oſcitantes perſiſtere: ubi autem ſudores innumeri, navigandi pericula, labores, curæ, & quod gravius eſt, incerta ſpes, & votum, tantopere invigilare? (*Ibidem.*) Inſania Chriſtianorum.

CXXVI. Quando ſervis noſtris ſuccenſemus, noſtra delicta conſideremus, & eorum modeſtia pudore nos afficiat. Servus in majoribus, & ſpiritalibus rebus nobis par, humanæ cujuſdam, & vilis prærogativæ gratia nos tolerat: qua ergo venia digni erimus, qui divino metu non poſſumus, vel potius nolumus, ut ille noſtro, philoſophari? (*Homil. 25. in cap. 3.*) Mala patienter toleranda.

CXXVII. Peccata noſtra, & humanæ naturæ communitatem reputantes, ad quoſvis manſuete loquamur. (*Ibidem.*) Manſuetudo in verbis.

CXXVIII. Fugiamus vanam gloriam, ut gehennam fugiamus: hic namque affectus maxime diaboli ditionem propagat; hic ætatem, & dignitatem omnem ſæviſſimo premit imperio; hic eccleſias huc illuc diſtrahit; hic civilia opera corrumpit; domos, civitates, populos funditus evertit; & ſi in deſertum venerit, multam & hic vim oſtendit. Nam qui ſæpe pecunias, mundi illecebras, & vehementiores corporis voluptates valere jubent, hi nonnunqnam inani gloria capti, omnia perdiderunt. (*Homil. 28.*) Contra vanam gloriam.

CXXIX. Sine humilitate nemo ſalutem conſequitur; ſed ſive quis jejunaverit, ſive oraverit, ſive ſuas pauperibus erogaverit facultates, ſine humilitate, hæc, & hujuſmodi omnia nihil afferunt utilitatis: contra, ipſius condimento gratioſa omnia redduntur. (*Homil. 32.*) Bonum humilitatis.

CXXX. Poteſt etiam qui innumeris ſit confectus vulneribus, ſanus evadere. *Si dimiſeritis*, inquit, *dimittetur vobis*. Et ſicut in baptiſmate abluta peccata amplius non apparent; ita, & dimittendo Pœnitentia delentur peccata.

do abluuntur, si pœnitere voluerimus. Ea demum est pœnitentia, ne amplius peccemus. (*Homil.* 33.)

S. JO. CHRYS.

Malorum prosperitas illis noxia. CXXXI. Cum videmus sceleitissimos bona corporis valetudine, & prospera fortuna lascivientes, deploremus, nedum miremur; quod enim in hac vita nihil adversi patiuntur, majoris in futurum supplicii est argumentum. (*Homil.* 37.)

Amor Christi in Eucharistia. CXXXII. Ut non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur; per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime est.... Ab illa igitur mensa tanquam leones ignem spirantes surgamus diabolo formidabiles, & caput nostrum intelligamus, & quam in nos præ se tulit caritatem. (*Homil.* 45.)

Idem. CXXXIII. Parentes sæpe liberos suos aliis alendos dederunt, ego autem longe aliter, inquit, mea carne alo, me vobis exhibeo, omnibus faveo, omnibus optimam de futuris spem præbeo. Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. (*Ibidem.*)

Idem. CXXXIV. Caro non prodest quicquam: non de sua carne dixit, absit; sed de his, qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur. (*Homil.* 46. *in cap.* 6.)

Templa frequentanda. CXXXV. Si unguentariæ tabernæ quis assideat, etiam invitus illum suscipit odorem; longe magis, qui Ecclesiam frequentat.... Quamvis innumeris vitiis sis obnoxius, noli Ecclesiæ vitare consuetudinem. Quid si audita non facio? non parum consequeris, si te miserum intelligis. Non inutilis hic metus; modo ingemiscas, quod audita non facias, sine dubio aliquando bene facere incipies. Non enim fieri potest, ut qui Deum & audiat, & alloquatur, non assequatur utilitatem. (*Homil.* 52.)

Lectioni Scripturæ vacandum. CXXXVI. Vacemus scripturis, & saltem Evangelia frequenter pertractemus.... hæc studiose faciens, abjicies sane omnem cupiditatem.... hortor ergo ut lectioni vacetis, sensus imbibatis, mentibus inscribatis. (*Ibidem.*)

Peccatorum stoliditas. CXXXVII. Multa, & verbis & re peccamus. Qui autem ita peccat, in gehennam recipitur; & quod gravissimum est, regnum Cælorum amittit. His minis etiam risu, & deliciis dissolveris, & Domino tuo irato, & minante nihil curas, nihil vereris. (*Homil.* 59.)

Meditatio extremi judicii. CXXXVIII. Futura supplicia, & tremendum judicii diem animo volutans, & frequenter agitans, & cupiditatem omnem & voluptatem, & sæcularium omnium amorem dubio procul abjicies: & omni portu tranquilliori animo frueris. Judicium cum tantopere ab hominibus providendum, curandum, formidandum sit, longe magis a Deo intelliges. (*Ibidem.*)

Miseris auxilia præbenda. CXXXIX. Licet in pauperes nihil possimus conferre, consolari tamen, & aliis multis modis opem ferre licebit. Assabimur captivos,

vos, custodes mansuetiores reddemus, & sive parum, sive multum, proficiemus tamen. Et si perditos ibi homines esse dixeris.... non bonis tantum misereri, sed in omnes ostendere humanitatem jubemur. (*Ibidem.*) S.Jo.Chrys.

CXL. Mulier tanquam in quodam philosophiæ gymnasio, domi sedens, & mentem in se colligens, orationibus, lectionibus, & aliis bonis operibus vacare potest, & more eremos habitantium, qui se perturbet, habet neminem.... potest virum perturbatum lenire, admonere, superfluas ejus, & molestiores cogitationes abscindere, & ita dimittere, ut qualcunque molestias e foro domum tulerit, deponat; & quæ domi bona didicerit, secum in forum afferat. (*Homil.* 60.) Mulieris bona opera.

CXLI. Nihil potentius muliere bona, & prudenti ad instituendum, & informandum virum quodcunque voluerit. Non tam leniter amicos, magistros, aut principes patietur, ut conjugem admonentem, atque consulentem. (*Ibidem.*) Aliis etiam utilia.

CXLII. Peccata nemo luget, quod lugere non jubemur, id lugemus. (*Homil.* 61. *in cap.* 11.) Peccata luganda.

CXLIII. Cur non statim post resurrectionem, Spiritus venit? ut expectationis desiderio majori gratia eum acciperent. Quousque enim cum ipsis Christus versatus est, non affligebantur; eo abeunte tanquam deserti formidantes, majorem in modum eum accipere avebant. (*Homil.* 74. *in cap.* 14.) Spiritum Sanctum cur expectabant Apostoli.

CXLIV. Oportet in rebus gravibus, & molestis, non labores, sed præmia considerare; sicut mercatores non maris pericula, sed lucrum spectant; ita & nos Cælum, & Dei præsentiam. (*Homil.* 76.) Præmia cælestia spectanda.

CXLV. Corpus suum dedit tibi Christus, & pretiosissimum sanguinem; tu nec potum das. (*Ibidem.*) Hortatio ad eleemosynam.

CLXVI. Nonne vides quomodo omnia nobis communia statuit Deus? Si pauperes esse permisit, etiam hoc divitum gratia factum est, ut per eleemosynam peccata possint abluere. (*Ibidem.*) Idem.

CXLVII. Christus post admonitionem de patientia, ad orationem convertitur, erudiens nos, ut in tentationibus, omnibus omissis, ad Deum confugiamus. (*Homil.* 79.) Orandum in tentationibus.

CXLVIII. Per ea, quæ Christus gessit, in oratione erudimur attentionem in orationibus adhibendam; ut stantes suspiciamus non oculis carnis tantum, sed mentis; & ut flectamus genua, conterentes corda nostra. (*Ibidem.*) Attentio in Oratione.

CXLIX. Omnia munda facit eleemosyna. Hæc jejunium, hæc humi dormire exsuperat; quamvis molestiora, & laboriosiora sint illa; hæc tamen lucrosior. Illuminat animam, saginat, pulcram reddit. (*Homil.* 80.) Eleemosynæ bona.

CL. Nonne perabsurdum, & indignum est, si Christus propter te tot indigna sustinuit, tu ne verba quidem sæpe perpeti possis? Ille insputus est, tu te vestibus ornas, & annulis; & si non apud homi- Christi imitatio.

S. Jo. Chrys. homines laudaris, miseram te vitam vivere arbitraris. Christus opprobriis, & maledictis afficitur, ad derisum alapis cæditur; tu ab omnibus laudem captas, & non fers opprobria Christi. (*Homil.* 82. *in cap.* 18.)

Mors meditanda. CLI. Mortuorum monumenta consideremus, & nos eumdem exitum manere, nonnunquam ante vesperum imminere in mentem veniat. Præparemur ergo huic profectioni. Multo nobis viatico opus est; nam & multus labor, multus æstus, magna solitudo peragranda est. (*Homil.* 83. *in cap.* 19.)

Reverentia Sacerdotibus. CLII. Et si male vivant sacerdotes, non tamen a subditis judicandi sunt. (*Homil.* 85.)

Idem. CLIII. Et si pravi sunt sacerdotes, Deus per eos omnia perficiet, & mittet Spiritum Sanctum. Neque enim pura mens propter propriam puritatem spiritum attrahit, sed gratia omnia operatur. *Omnia enim propter vos, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* (*Ibidem.*)

Ex Homiliis in Genesim.

Consuetudo non sequenda. CLIV. Obsecro ne consuetudini temere serviamus, sed ratione res nostras instituamus. (*Homil.* 1. *in cap.* 1. *Gen.*)

Errantibus compatiendum. CLV. Licet adhuc præoccupati erroribus, cognati tamen sunt nostri; & congruit, ut magnam eorum curam habeamus nunquam torpescentes.... Nihil enim ita gratum est Deo, & ita curæ, ut animarum salus, sicut clamat Paulus: *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* (*Homil.* 3.)

Patientia commendatur. CLVI. Si Deus ipse ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos, & salutem nostram suscepit, quid non a nobis æquum est sustineri propter eos, qui cognati sunt, ac membra nostra? (*Ibidem.*)

Vigilantia necessaria. CLVII. Et linguæ diligens habenda est custodia, & oculi muniendi sunt, & mens purganda, & in perpetuo certamine vivendum est, quasi fera aliqua nos invadat, & lædere conetur. (*Ibidem.*)

Ad se reverti. CLVIII. Non parva ad virtutis reditum via est, scire peccatorum magnitudinem. (*Homil.* 6.)

Scandalum vitandum. CLIX. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant?* Vides Apostolicam sapientiam? etiamsi liceat, inquit, mihi aliquid facere, nihilque hinc mihi damni accedat, quia hoc non facit ad proximi ædificationem, nequaquam hoc facere sustinuerim. Vides animam suaviter nos amantem, quomodo nusquam quod suum est quærit; sed omnibus modis ostendit virtutum longe maximam esse magnam curam gerere quomodo proximus ædificetur. (*Homil.* 7.)

Bonum exemplum. CLX. Non vult Deus ut Christianus se ipso tantum contentus sit, sed ut alios ædificet; non per doctrinam solum, sed & per vitam & conversationem. Nihil enim sic in veritatis viam inducit, ut

ut integritas conversationis. Nam non tam considerantur ea quæ a nobis dicuntur, quam quæ a nobis aguntur. (*Homil.* 8.)

S.Jo.Chrys.

Christianus mundo mortuus.

CLXI. Virtus est, humana omnia despicere, futura singulis horis cogitare, nullis præsentibus addictum esse; sed scire omnia humana umbram esse, somnium & si quid his vilius. Virtus est erga negotia hujus vitæ non magis affici, quam cadaver afficitur; & ita vitiosæ operationis expertem esse, ut ad ea quæ offendere salutem animæ possunt, quasi mortuus quis sit: vivat autem & operetur tantum ea quæ spiritus sunt: sicut Paulus dicebat, *vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus*. (*Homil.* 8.)

Deo gratiæ agendæ.

CLXII. Ne desides simus, sed unusquisque pro virili supputet apud se singulis horis non solum communia beneficia, sed & privata in se collata, non ea tantum quæ omnes fatentur, & quæ omnibus manifesta, sed & propria, ac plerosque latentia. Sic enim ad continuam gratiarum actionem Domino referendam incitabitur. Hoc maximum sacrificium, hoc fiduciæ nostræ ad Deum argumentum....

Infirmorum jejunium.

CLXIII. Si ob corporis imbecillitatem non potes diem jejunus producere, nullus qui sapit, propter hoc te arguere poterit. Dominum enim habemus mansuetum ac benignum, & nihil supra vires nostras a nobis exigentem. Sunt his quos corporis detinet infirmitas, sunt profecto viæ, quibus januæ fiduciæ ad Deum aperiri possunt multo majores quam ciborum abstinentia. Igitur qui non valet jejunare, largiorem det eleemosynam, ferventior sit in precibus, majorem habeat alacritatem in audiendis divinis eloquiis, in quibus corporis infirmitas nihil obstare potest: inimicis reconcilietur, omne odium & vindictæ cupiditatem ex animo effuget; qui hæc fecerit, verum jejunabit jejunium; quod a nobis potissimum exposcit Dominus. Propter hæc enim hanc a nobis cibi abstinentiam fieri præcipit, ut refrænantes carnis lascivias, eam obedientem faciamus, & ad mandata Dei implenda sequacem. Quod si ob infirmitatem corporis subsidium hoc, quod jejunium præstat nobis, adhibere nolumus, & desidiæ deditiores sumus, maxima nobis ipsis damna afferimus. Nam si jejunium absentibus aliis prædictis operibus nihil nobis prodest; multo magis si cum jejunii pharmaco uti non possumus, graviori negligentia fuerimus præpediti. (*Hom.* 10.)

Quies miscenda labori.

CLXIV. Anima remissione indiget & quiete, ad regendum animæ statum, & domandam carnis petulantiam. Nam sicut semper esse intentum laboribus, succumbere facit; ita perpetuo remittere, ad ignaviam inducit. (*Homil.* 11. *in cap.* 2.)

Vigilandum contra prædominans vitium.

CLXV. Unusquisque operam det, ut vitium quod sibi magis quam cætera infestum sentit, ex anima exscecet; & pia cogitatione quasi spirituali quodam gladio, seipsum ab eo liberet. (*Ibidem*.)

Non se laudare.

CLXVI. Paulus *insipientiam* vocat quod loquitur; docens ne nos unquam citra necessitatem & nullo urgente, quæ a nobis facta sunt evulgemus, si quid boni simus operati. (*Ibidem*.)

CLXVII.

S. Jo. Chrys. Nil inutile in Scriptura. CLXVII. Nihil temere vel fortuito loquitur divina scriptura; sed & syllaba & apiculus unus reconditum habet thesaurum. (*Hom.* 18. *in cap.* 3.)

Justus non præsumat; peccator non desperet. CLXVIII. Non solum bona Sanctorum opera nobis sunt scripta, sed & peccata, ut hæc quidem fugiamus, illa vero imitemur. Neque hoc solum, sed monstrat insuper divina scriptura & justos sæpe lapsos, & peccatores magnam agentes pœnitentiam, quo utrinque nobis sufficiens esset remedium; & neque qui stetit confidentior sit, videns & justos cecidisse; neque qui in peccatis est desperet, visis tot qui resipuerunt, & ad summum virtutis apicem pervenire potuerunt. (*Homil.* 29.)

In Paschate fervor augendus. CLXIX. Cum in magnam hanc hebdomadam pervenerimus Dei gratia, nunc maxime jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ preces, faciendaque diligens & pura peccatorum confessio, & in bonis operibus sedulitas, eleemosyna larga, æquitas, mansuetudo, aliæque virtutes; ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem Domini venerimus, Domini liberalitate fruamur. (*Homil.* 30.)

Mensuram servare. CLXX. Hoc humanum genus potissimum perdit, quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere, sed semper majora desiderat, & quæ sunt supra suam dignitatem votis concipit. (*Ibidem.*)

Contra temere judicantes. CLXXI. *Descendit Dominus ut videret civitatem:* descendit Dominus, non ut humano modo intelligamus, sed ut per hoc erudiamur numquam temere fratres contemnendos, neque auditu solo judicandum, nisi pluribus argumentis prius certi reddamur. (*Ibid.*)

Attentio in oratione. CLXXII. Nitamur ita loqui, ut non solum verba, sed & mens verborum comes ad Deum accedant. Nam si lingua quidem proferat verba, mens autem foris sit, sua tractans negotia & imaginans quæ in foro sunt, nulla nobis utilitas est, fortassis autem & major condemnatio. Etenim vero si cum ad homines accedimus, tam intenti sumus, ut prope stantes sæpe non videamus, sed colligimus mentem, & ad eum solum spectamus ad quem accedimus; quanto magis apud Deum idem facere continuo, & jugiter precibus insistere congruit? (*Ibidem.*)

Oratio perpetua. CLXXIII. Precibus perpetuo incumbamus tam die quam nocte: & magis noctu, quando nullus interturbat, quando magna cogitationum tranquillitas, quando collecta mens omnia diligenter potest referre animarum medico. Sic beatus David rex, tantis implicitus negotiis: *media nocte surgebam*, inquit, *ad confitendum super judicia justitiæ tuæ*. Quid nos dicemus qui privatam & otiosam vitam agimus? (*Ibidem.*)

Vanitas perniciosa. CLXXIV. Ambo hæc saluti nostræ sunt noxia, & spirituale aliquid operando ad humanam spectare gloriam, & bene aliquid operando, sublime de se sapere. (*Homil.* 31. *in cap.* 9.)

Gratia Deo habenda. CLXXV. Nihil aliud requirit ab humano genere Deus universi, post innumera & ineffabilia beneficia sua, quam animam gratiarum actioni studentem, & scientem habere gratiam pro iis quæ jam accepit. (*Hom.* 32.)

CLXXVI.

CLXXVI. Hæc eſt enim humilitas, quando quis occaſiones habet ut extollatur, & ſeipſum humiliat, ſupprimit, ac modeſte gerit; tunc enim ad verum ſubvehetur faſtigium, juxta promiſſionem Domini; *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. (*Hom.* 32.) S.Jo.Chrys. Vera humilitas.

CLXXVII. Nos etiamſi faciamus quæcumque facere poterimus, nihil magnum faciemus, ut ei, qui nos tantis beneficiis prævenit, aliquid rependamus. Noſtra enim, ſi qua ſequuntur, retributio quidem ſunt & debitum, illius autem gratia & beneficia & largitionis magnitudo. (*Hom.* 34.) Numquam ſatis pro Deo facimus.

CLXXVIII. Ingens bonum eſt divinarum Scripturarum lectio. Hæc facit animam optimis moribus præditam; hæc in cælum mentem transfert, hæc memorem beneficii reddit hominem. Hæc facit ne quicquam ex rebus præſentibus admiremur; ſed ut perpetuo in alia vita mente noſtra verſemur, & ad Domini mercedem reſpicientes omnia operemur, & alacritate magna virtutum labores aggrediamur. Ex ipſis diſcere licet Dei celeriter ſuccurrentis providentiam, juſtorum fortitudinem, Domini bonitatem, retributionum magnitudinem. Hinc poſſumus ad imitationem optimæ generoſorum virorum vitæ excitari, ut non torpeſcamus in virtutis certaminibus; ſed confidamus etiam antequam eveniant, divinis promiſſionibus. (*Homil.* 35.) Lectio Scripturarum.

CLXXIX. *Egredere de terra tua, & veni in terram quam monſtravero tibi*. Abram & nos imitemur, & egrediamur mente ac alacriter a præſentis vitæ negotiis, & eamus in cælum. (*Homil.* 37.) De Mundo exitus.

CLXXX. Unius rei cura ſit, ut triſtitiæ cauſa e medio tollatur, creſcatque ac roboretur pax domeſtica: ut & uxor ad virum ſuum habeat converſionem, & vir ab externis & forenſibus negotiis ad uxorem tamquam ad portum confugere, & conſolationem poſſit invenire: in adjutorium enim data eſt uxor. (*Homil.* 38.) Pax in conjugio.

CLXXXI. Si uxor fuerit ornata virtutibus & manſueta, in omnibus viro fiet multum utilis: omnia illi levia & facilia reddet, & percipere non ſinet illas, aut externas, aut eas quæ quotidie domi naſcuntur difficultates. (*Ibidem*.) Uxor manſueta ſolatium viri.

CLXXXII. Maximus hic eſt honor quem Deo deferre & offerre poſſumus, ut virtuti ipſius fidamus, etiamſi præ oculis quæ ſunt contraria videamus. (*Homil.* 39.) Fiducia in Deo.

CLXXXIII. Ne ſimus difficiles erga eos qui ad nos accedunt; quod ſi poterimus eorum inopiam ſublevare, hoc faciamus cum gaudio, lætitiaque magna; non ut præbentes aliquid, ſed ut ab eis accipientes. Quod ſi non poſſumus, ne ſimus aſperi in eos; ſed vel verbis curam eorum agamus, & in manſuetudine reſpondeamus eis. Quare enim dure compellas eum? num cogit? num vim facit? orat, ſupplicat, obſecrat. Qui autem hæc facit, contumelia non eſt dignus. Quid dico, orat & ſupplicat? innumera bene apprecatur, & hæc omnia facit pro uno obolo, & neque illum erogamus. (*Homil.* 41.) Cum gaudio danda eleemoſyna.

CLXXXIV. Multa Domini bonitas eſt, & ſæpe ſolet etiam pro- Juſti aliis proſunt.

S. JO. CHRYS. propter paucos multis dare salutem, & quid dico? propter paucos justos: sæpe quando non inventus est in præsenti vita justus, propter defunctorum virtutem, viventium miseretur, & curam habet; unde dicit: *Protegam civitatem hanc propter me & propter David puerum meum*. (*Homil.* 42.)

Solitudo quando inutilis. CLXXXV. Sicut negligenti nihil prodest solitudo (neque enim locus nos facit virtute præditos, sed mens & mores) ita prudens atque vigil non offenditur, etiam media in civitate vivens. Quocirca vellem sicut beatum Job virtute præstantes in mediis civitatibus esse; ut quasi fermentum facti aliis, multos ad sui imitationem trahant. (*Homil.* 43.)

Preces Sanctorum efficaces. CLXXXVI. Quando quod ex nobis est simul afferimus, & intercessio Sanctorum accedit, nobis plurimum confert. Quod si negligentes fuerimus, & spem in illis solis collocamus nostræ salutis, nihil nobis prodest: non quod infirmi sint justi, sed quia propter desidiam nostram nos ipsos perdimus... Unde Deus ad Jeremiam: *Ne ores pro populo hoc, quia non exaudiam te*. (*Homil.* 44.)

Quomodo orandum. CLXXXVII. Non adeo proficimus per alios orantes, ut per nos ipsos, si quidem cum alacri & vigili mente accedimus. Enim vero & Chananæa Discipulos habens pro se orantes, nihil profecit, donec ipsa per se assisteret. Itaque cum vidimus ineffabilem clementiam Domini, accedamus ad eum declaratis singulis peccatis nostris, etiam pro præteritis peccatorum veniam petamus, ut in futurum majori diligentia viventes, uberiorem ejus gratiam assequamur. (*Ibidem*.)

Anima grata plus meretur. CLXXXVIII. Nihil tam gratum Deo ut anima grata & gratias agens. Nam cum innumeris beneficiis quotidie omnes nos prosequatur, sive velimus, sive nolimus; sive ea sciamus, sive ignoremus; nihil tamen aliud a nobis exigit, quam habere gratiam pro his quæ facta sunt, ut pro illa ipsa gratiarum actione ad ampliora danda provocetur. (*Homil.* 52. *in cap.* 26.)

Dilectio legis plenitudo. CLXXXIX. Qui diligit sicut oportet Deum, manifestum quod & mandata ejus facere nititur. Quando enim quis fraterne erga aliquem afficitur, omnia facere studet, ut delictum attrahere possit in amorem suum. Et nos quoque si Dominum fraterne dilexerimus, & mandata ejus implere, & nihil eorum quæ exacerbare possunt dilectum, facere studebimus. (*Homil.* 55.)

Prava consuetudo rejicienda. CXC. Si bonum & utile fuerit consilium, etiam si non sit consuetudo, fiat: sin damnosum id quod a vobis efficitur, etiamsi consuetudo sit, rejiciatur. (*Homil.* 56.)

Efficacia mansuetudinis. CXCI. Nihil mansuetudine violentius. Nam sicut rogum valde accensum aqua injecta restinguit, ita & animum camino magis exardescentem verbum cum mansuetudine prolatum extinguit; & duplex nobis inde lucrum accrescit, tum quod fratris indignationem cessare facimus, & mentem ejus a turbatione liberamus. (*Homil.* 58.)

Ex

Ex Sermonibus super diversa loca Veteris Testamenti. S. Jo. Chrys.

CXCII. Nihil adeo curandum est, quam ut juvenes casti sint & pudici.... Neque vero tantum a spectaculis, sed etiam a mollibus ac dissolutis cantilenis abducamus; ne his eorum anima fascinetur; neque illos ad theatra deducamus, nec ad convivia & compotationes; sed cautius quam virgines abditæ conclavi, custodiri debent juvenes. (*De Anna. Serm.* 1.) Innocentia custodienda.

CXCIII. Impossibile est hominem qua decet alacritate precantem, ac qua par est assiduitate, unquam in peccatum incidere..... Sed quoniam homines cum simus, facile ad segnitiem relabimur; exacta una, alterave aut tertia post precationem hora, ubi senseris pristinum illum fervorem paulatim frigescere, recurre quantocius ad preces, frigescentemque mentem rursus accende. Id si per diem totam feceris, per intervalla crebris precationibus te ipsum accendens, non dabis occasionem diabolo, aut ullum ad cogitationes tuas aditum. (*Homil.* 2. *de Anna.*) Efficacia Orationis frequentis.

CXCIV. Si in Ecclesia, ubi Psalmi, ubi divinorum eloquiorum enarratio, ubi Dei metus, multaque reverentia, frequenter ceu latro quispiam versutus, clam obrepit concupiscentia; quomodo qui desident in theatro, qui nihil sani neque audiunt, neque vident, sed multa diffluunt turpitudine, multa nequitia; qui undique obsidionem patiuntur per aures, per oculos, possint illam superare concupiscentiam? (*Hom.* 3. *de David & Saul.*) Spectacula periculosa.

Ex Homiliis super Psalmos.

CXCV. Nihil æque solet facere pacem ac Dei cognitio, ac virtutis possessio, quæ animi perturbationum internum bellum procul ejicit.... sane si hac pace homo non fruatur, etiam si sit extrinsecus summa pax, est omnium miserrimus. (*Hom. in Ps.* 4.) Pax virtutis fructus.

CXCVI. Anachoretas imitare, in media civitate solitudinem persequens. Quomodo autem hoc erit? si fugias improbos, & si bonos sequaris. Ita enim majorem percipies securitatem, quam qui in desertis habitant, non solum in iis fugiendis qui lædunt, sed etiam in communicando cum iis qui prosunt...... utrumque enim & virtus augescet, & decrescet vitium. (*Ibidem.*) Malorum societas fugienda.

CXCVII. Nisi tu flammam accenderis, fornax cupiditatis non excitatur........ nisi de speciosis vultibus curiose investigaris, nisi de aliena pulchritudine fueris nimium sollicitus, nisi in theatra iniquitatis ascenderis, nisi carnem deliciis impinguaveris.... non sufficiunt hæc sola refrænandæ cupiditati, sed oportet etiam alia accedere, orationes assiduas, sanctorum consuetudines, jejunium moderatum, victum tenuem, necessaria exercitia; ante alia autem omnia Dei timorem, futurum judicium, supplicia intolerabilia, Remedia contra concupiscentiam.

 bono-

S. Jo. Chrys. bonorum promissiones, per hæc omnia refrænanda est cupiditas, & sedandum est mare commotum. (*Homil. in Ps. 6.*)

Gaudium in Deo. CXCVIII. Qui in Deo ut oportet lætatur, omnem quæ ex iis quæ ad vitam pertinent proficiscitur, expellit voluptatem. Quid est enim *lætabor in te*: cum talem habeam Dominum, hoc est mihi voluptas, hoc est exultatio? Si quis hanc novit voluptatem, ut oportet, non sentit aliam voluptatem. (*Hom. in Ps. 9.*)

Cito a peccatis surgere. CXCIX. Si in aliquod peccatum inciderimus, ad nos cito redeamus, & faciamus ut lapsus sit occasio securitatis, & argumentum & impulsio amplius non peccandi. Quomodo ergo facies? habes David præceptorem. Peccavisti, ne dormias in peccato, sed exurge, & statim apud te cogita, quod Deus a te faciem averterit, quod tui oblitus sit; deinde plora, ingemisce, cito recede ab iis qui operantur iniquitatem..... dic: *usquequo Domine oblivisceris mei in finem?* dic, non lingua, sed corde multo ante. (*Hom. in Psalm. 12.*)

Multitudo magna criminum. CC. *Multiplicata sunt super capillos capitis mei.....* Ne omnino hyperbolice dictum esse intelligamus, quoniam vel ignorantes multa peccata committimus; quin etiam una quoque actio in multa dividitur peccata. (*Homil. in Psal. 39.*)

Omnia gaudia in dilectione Dei. CCI. Nihil amemus eorum quæ ad hanc vitam pertinent, ut divinus amor nobis purus maneat & integer, & ne divisus fiat imbecillior. Hæ divitiæ, omnes divitias, omnem gloriam, omnem claritatem nobis largiri poterunt. Eas obtineamus & nulla alia re egebimus. (*Homil. in Psal. 41.*)

Dives in somno. CCII. Quemadmodum qui in somnis sibi videntur habere pecunias, licet fuerint regiæ gazæ, Domini cum dies illuxerit, sunt omnium pauperrimi; ita etiam in vita præsenti, qui nihil illuc afferre potuerit, est omnium pauperrimus, licet omnia possederit, in somnis enim solum est dives. Si velis ergo mihi ostendere divitem, tunc mihi ostende quando fuerit dies, quando in illam patriam recesserimus; nunc autem non potero discernere divitem & pauperem. Non est enim rerum veritas, sed potius splendida & speciosa vocabula. (*Hom. in Ps. 43.*)

Status damnatorum horribilis. CCIII. In hac quidem vita mors adveniens solvit calamitates, & amici consolantes, & finis qui expectatur, sæpe etiam diuturnitas temporis mollit perturbationem animi, ac habere ærumnarum socios. In inferis autem nihil est ejusmodi. Neque enim est aliquis qui consoletur, sed est solitudo maxima amicorum. Non longitudo temporis mollit dolorem: quomodo enim cum flamma perpetuo impendeat? Non spes liberationis; est enim æternum supplicium. Non mortis expectatio; sunt enim etiam quæ puniuntur corpora immortalia. Nec affert solatium quod videantur alii puniri. Primum enim non possunt videri qui puniuntur, cum tenebræ oculis caliginem offundant. Deinde magnitudo doloris ne finit quidem admittere sensum hujus consolationis. (*Homil. in Psal. 49.*)

Scandala fugienda & contemnenda. CCIV. Si fuerit damnum majus salute, contemne eum qui offendi-

fenditur: sin minus ne contempseris. Hoc enim fit generale decretum & regula docens quando oporteat contemnere eos qui offenduntur, & quando non. Verbi gratia, offendebantur Judæi quod Paulus legem non servaret, & propterea multa millia resiliebant. Quid ergo facit? volens mederi offensioni (major enim erat salus tot millium,) tunc prohibuit ostendere quod legem non servaret. Quod autem majus erat, rursus offendebantur quod crucifixum prædicaret. Hic contempsit eos qui offendebantur, majus enim lucrum prædicationis. Simili modo se gessit Christus. (*Ibidem.*) S. Jo. Chrys.

CCV. Longa vitiorum consuetudo, magnam affert cæcitatem animæ, amentes efficit, & perspicaces oculos intelligentiæ eruit. (*Ibidem.*) Effectus pravi habitus.

CCVI. Erubescit fieri nutrix quæ facta est mater. Christus autem non ita. Ipse nutritor est noster, ideo & pro cibo propria nos Carne pascit, & pro potu suum Sanguinem nobis propinavit. (*Hom. in Ps. 50.*) Amor Christi in Eucharistia.

CCVII. Audistis Regem dicentem: *Peccavi Domino*, & Prophetam respondentem: *Dominus transtulit peccatum tuum*; velox confessio, velocior medicina. (*Ibidem.*) Misericordia Dei prompta.

CCVIII. Nullus desperet de sua salute. Si impius es, cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspice latronem; si iniquus es, cogita blasphemum; considera Paulum Apostolum prius persecutorem, postea annunciatorem.... Si Deus voluerit, nullus impediet. Hoc dico, non ut negligentiores vos faciam, sed ut ad fidem vos salutaris expectationis adducam. (*Ibidem.*) Nemo desperet.

CCIX. *Exaudi me, Domine, quia suavis est misericordia tua.* Iste satis de Deo præsumebat, sperabat, credebat, rogabat, impetrabat. Non dixit, *exaudi me*, quia talia sunt merita mea..... Sed, *exaudi me, Domine, quia suavis est misericordia tua.* Non audeo jactare merita mea, sed non taceo gratiam tuam. (*Hom. in Psal.* 88.) Omnia ex Dei bonitate speranda.

CCX. Primo mores purgandi sunt, vitia corrigenda, mala consuetudo mutanda, vetusta institutio dimittenda, & ita dici potest: *Exaudi me, Domine, quia suavis est misericordia tua.* (*Ibidem.*) Oratio bona vita.

CCXI. Omnis qui in isto sæculo dolendo peccata accusat, & fuerit a se accusatus, a Deo erit excusatus. Sed illa est fructuosa accusatio, si subsecuta fuerit correctio. Cæterum quotidie se accusare & non corrigere, Deum tentare est. Melius ergo eligo, ut primo sit correctio, & postea accusatio, quam præcedat accusatio, & non subsequatur correctio. (*in Psal.* 84.) Emendatio necessaria.

CCXII. Anima Deum sitiens & esuriens, derelinqui in quocumque periculo, in quantacumque extremitate non poterit. Et si paululum differt beneficia; tamen non derelinquit sperantes in se. *Nam quis speravit in Domino, & confusus est?* (*Hom. in Psal.* 93.) Deus sperantes in se non deserit.

S. JO. CHRYS. CCXIII. Omnino magnus erat numerus sacrificiorum in lege; quæ omnia nova gratia superveniens uno complectitur sacrificio, unam ac veram statuens hostiam. (*in Psal.* 95.)

In nova lege unum Sacrificium.

Martyrii genera. CCXIV. Qui orat in occulto coronatur; & qui in occulto contorquet mentem ad confessionem non coronatur? martyrium, fratres, non eventu tantum æstimatur, sed etiam proposito. Non quum martyr decollatur, tum fit martyr, sed ex quo propositum ostendit profitendi, martyr est, etiamsi non patiatur quæ martyres solent. (*Ibidem.*)

Ex sola charitate implenda mandata. CCXV. *In mandatis ejus volet nimis*: non dixit, mandata ejus faciet, sed volet, aliquid amplius requirens. Quidnam autem est hoc? ea facere cum studio & animi alacritate: esse vehementes eorum amatores; jussa eorum persequi: amare ea non propter mercedem, quæ est pro ipsis proposita, sed propter eum qui illa statuit; virtutem cum voluptate persequi, non propter metum gehennæ, nec propter promissionem regni, sed propter eum qui leges tulit. (*in Psal.* 101.)

Pro invicem orandum. CCXVI. Quemadmodum Christus nos deducens ad charitatem & concordiam, jubet ut in precibus fiat communiter oratio; & ab universa Ecclesia tamquam ab una persona dicatur, *Pater noster*, *&c.* Ubique utens plurali nomine; & præcipiens unicuique etiam si pro se oret, pro cunctis fratribus offerre orationem. (*Ibidem.*)

De salute animæ cura. CCXVII. *O Domine salva animam meam.* Vide sapientem animam, quomodo relictis omnibus quæ ad hanc vitam pertinent, unum tantum petit, ut anima maneat illæsa, si autem bene habeat, reliqua omnia consequentur; si non habeat, nihil nos juvat reliqua prosperitas. (*Hom. in Psal.* 114.)

Præsumptio fugienda. CCXVIII. *Misericors Dominus & justus.* Vides quomodo docet auditores, ut neque desperet, neque negligat. Ne desperes, est enim Deus misericors; ne sis nimium securus, est enim justus. Sic salutem utrinque nobis procurat: hujus enim exscindit socordiam, illius autem tollit desperationem. (*Ibidem.*)

Objecta mœroris & lætitiæ. CCXIX. *Revertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi....* Quæ aliis videntur esse digna lacrymis, huic ea videntur optanda: & eapropter quæ alii se jure putant lætari, sibi existimat merito deploranda. An non est merito ingemiscendum, quod simus in regione aliena, & in coloniam procul a patria positam amandati? an non est maxime lætandum quod in tranquillum portum cum maxima celeritate cursum teneamus, & supernam civitatem recipiamus, a qua procul aufugit dolor, molestia & gemitus? & quid mea refert, inquis, qui sum peccator? vides non esse mortem quæ dolorem afferat, sed malam conscientiam. Desine peccare, & erit tibi expetenda mors. (*Ibidem.*)

Humilitatis excellentia. CCXX. Tantum bonum est humilitas, ut & Dominus noster humiliarit semetipsum. Et ut in similitudinem suæ nos humilitatis addu-

adduceret, dixerit; *discite a me quia mitis sum & humilis corde*. (*Hom. in Ps.* 115.)

S. Jo. Chrys.

CCXXI. Quando res in maximam inciderint inopiam, tunc tu spera maxime. Tunc enim Deus maxime suam ostendet potentiam; non a primordio, sed cum res fuerint plane desperatæ ab hominibus. Hoc est enim tempus divini auxilii. Et ideo nec pueros eripuit a principio, sed postquam fuerint conjecti in fornacem; nec Danielem antequam esset immissus, sed septem post diebus.... hoc autem facit Deus, ne ullus ejus sibi gloriam vindicet. (*In Psal.* 117.)

In extremis magis sperandum.

CCXXII. Non solum gratias agit David quod fuerit liberatus; sed etiam quod ceciderit, maximum agnoscit beneficium, & dicit lucrum tentationis. Quodnam hoc? *castigans castigavit me Dominus*. Hæc est utilitas periculorum, quod me meliorem fecerunt. (*Ibidem*.)

Lapsus utilis Justis.

CCXXIII. Jubet Christus, nos esse oves etiam inter lupos.... Mane ovis, & ita lupos superabis...... Nihil enim est mansuetudine potentius, nihil lenitate validius ac firmius. (*Hom. in Ps.* 119.)

Efficacia lenitatis.

CCXXIV. Pax nostra Christus qui tulit parietem inimicitiarum inter Deum & nos, & reconciliavit nos Patri. Ecce radix pacis nostræ. Exinde surgit ut pacem habeamus cum omnibus hominibus. Sustineamus inquietos, arguamus superbos, toleremus infirmos: & cum ita fiunt, fœcundatur in nobis pax, surgit alia pax, ut non litiget caro nostra contra animam, subdantur omnes voluptates & stimuli carnis..... cum ita fuerint subdita, spiritui tunc erit pax. (*Ibidem*.)

Fructus pacis cum Christo.

CCXXV. Quemadmodum semina opus habent imbribus, ita etiam nos lacrymis; & sicut terra opus habet ut aretur & proscindatur: ita anima fidelis pro ligone indiget tentationibus & afflictionibus, ne producat malas herbas, ut ejus molliatur durities, ne nimium efferatur & exiliat. (*Ibidem*.)

Necessitas tribulationum.

CCXXVI. Quando videris quempiam ex afflictione desperantem, aut verbum aliquod acerbum proloquentem; ne in causa esse existimes afflictionem, sed pusillum & abjectum ejus animum. Afflictionis enim natura solet efficere contraria, attentionem, animi contritionem, intentam mentem, pietatis incrementum. (*Hom. in Psal.* 141.)

Fortitudo in adversis.

CCXXVII. Aliud est arrogantia, aliud magnitudo animi. Est enim arrogans, qui propter res parvas se jactat, & conservos despicit. Alto vero est animo qui mente est humilis, & præsentis vitæ umbras nihil esse existimat. (*Homil. in Psal.* 144.)

Contemptus mundi.

CCXXVIII. In hoc spes maxime consistit, ut etsi statim non acceperimus, minime desperemus nec animum abjiciamus. (*in Ps.* 146.)

Vera spes non vacillat.

CCXXIX. *Verumtamen frustra conturbatur omnis homo*. Cur acerbe fers cum a pauperibus rogaris, quasi de tuo impendas? sua illi petunt, non tua: ea quæ ipsorum causa tibi tradita sunt & credita, non quæ tecum procreata sunt. Eroga quod accepi-

Superfluum divitum patrimonium pauperum.

 sti,

S. JO. CHRYS.

sti, & usum accipe, quod tibi ut dares, non ut acciperes præscripium est. (*Serm. in illud Psal.* 38.)

Eleemosyna fœnus cum Deo.

CCXXX. *Qui misericordia cum paupere utitur, Deo dat fœnori*. Ergo Deus noster est debitor. Utrum ergo eum habere vis judicem, an debitorem? (*Ibidem*.)

Inhumanitas in pauperes.

CCXXXI. *Discedite a me maledicti &c.* Non dixit, quod adulteri, quod fures fuistis, falsum testimonium dixistis, pejerastis: quamquam hæc quoque constabunt, sed inferiora sunt inhumanitate & vacuitate misericordiæ. *Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Non condemno eos qui peccaverunt, sed quos inhumanitatis non pœnituit: vos condemno quod cum tantum ac tale remedium salutis, eleemosynam haberetis, tam magnum beneficium prætermisistis. (*Ibidem*.)

Ex Commentariis super Isajam.

Punitio negantium stipem.

CCXXXII. Qui esurientem non pavisse deprehendentur, in illum emittentur ignem gehennæ, non quod aliena rapuerint, sed quod suas ipsorum facultates non dispertiverint in usum egentium. (*in Is. c.* 1.)

Pœna peccatum sequitur.

CCXXXIII. *Fructum operum suorum comedent*. Ejusmodi est malitiæ natura; ipsa in se pœnam continet sui ultricem. (*In c.* 3. *Is.*)

Contra evagationes mentis.

CCXXXIV. Qui cum rege terreno colloquitur, de his tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire.... tu vero cum Rege regum colloquens, cui cum honore serviunt Angeli, omisso cum illo cæpto sermone, de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris. Nihil enim aliud sunt hujus vitæ negotia. (*Homil.* 2.)

Sitis verbi Dei audiendi.

CCXXXV. Quemadmodum appetentia cibi, corporis bonam valetudinem declarat; sic & sermonis spiritualis desiderium animæ sanitatem arguit. (*Homil.* 2.)

Distinctio potestatis politicæ & ecclesiasticæ.

CCXXXVI. Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur. Ille necessitate, hic concilio. Ille habet arma sensibilia, hic spiritualia. Ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est adversus dæmones. Major hic principatus: propterea Rex caput submittit Sacerdotis manui, & ubique in veteri scriptura, Sacerdotes inungebant Reges. (*Hom.* 4.)

Ex Sermone super Hierem.

Ad quid nati sumus.

CCXXXVII. Natos nos esse non ut edamus ac bibamus, sed ad alia multo majora melioraque præstanda, docet Deus, cum ait: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Porro Deo similes reddimur, non dum comedimus aut bibimus... sed dum justitiam exercemus, benignitatem exhibemus, mites, modesti, ac misericordes in proximos sumus, virtutem omnem sectamur. Siquidem commune nobis est cum belluarum natura quod comedi-

medimus, neque quicquam illis hac in re præstamus. (*Serm.* 1. *de verbis Jeremiæ.*) S. Jo. Chrys.

Ex Homilia de Prophetiarum obscuritate.

CCXXXVIII. Summa vis est orationis multitudinis. Idcirco convenimus hic omnes, ut vehementius Deum ad misericordiam flectamus. Nam cum orantes soli, imbecilles sumus, per conjunctionem charitatis Deum exoramus.... An non possum, inquies, domi orare? potes quidem, sed tantam virtutem non habet oratio, quam ubi cum propriis membris fit, quam cum totum corpus Ecclesiæ unanimiter & una voce preces fundit, Sacerdotibus præsentibus, ac verba communis cœtus offerentibus. (*De Prophetiarum obscuritate*, *Hom.* 2.) Efficacia orationis communis.

CCXXXIX. *Auditionem vanam non suspicies.* Non dixit auditioni vanæ minime credes, sed ne suspicies quidem illam. Aures obtura, criminationi auditum omnem interclude; neque minus hostem te esse illius qui maledicit, quam sit ipse qui accusatur, ostende. Imitare Prophetam qui dicit; *detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar.* (*Ibidem.*) Maledices non audire.

CCXL. Alia quidem peccata tempore indigent, impensa, dilatione, adjutoribus.... at in maledicendo non ita fit: sed nisi attenti valde simus ac vigiles, facile abripimur: sufficit enim ut tantum velimus, & statim voluntas in opus exit: sola quippe lingua inservit. Quando igitur velox est malum & facile nos circumstans peccatum & pœna gravis, nec lucrum ullum, diligenter hunc morbum fugiamus, & aliorum mala tegamus, nedum propalemus, ac peccantes admoneamus, sicut dicit Dominus: *si peccaverit frater tuus, corripe ipsum inter te & ipsum solum.* (*Ibidem,*) Cavendum a detractione.

Ex Libris de Sacerdotio.

CCXLI. Inter utrosque tantum est sane interjectum intervallum, quantum vitam inter præsentem & æternam. Parentes enim nos in præsentem, Sacerdotes in vitam æternam generant. Atque illi certe ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare: quum hi laborantem ac morti jamjam propinquam animam identidem servarint; aliis remissiorem pœnam reddentes; alios prorsus labi non permittentes, non doctrinæ solum atque commonitionis, sed etiam precum præsidio: neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. (*Lib.* 3. *de Sacerdot.*) Sacerdotes honorandi.

CCXLII. Quam multa supplicia Episcopos manent cum ex iis unusquisque non solum rationem redditurus sit suorum delictorum; sed eorum item omnium, quæ alii commiserint, ad extremum illos venire oporteat periculum? nam si horremus, dum judicium De Episcopis terribile judicium.

id

S. JO. CHRYS.

id nobis subeundum est, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri sumus; ut qui sentiamus, nos ignem illum æternum effugere nequaquam posse: quid illi expectandum est, qui tam multorum nomine causas dicturus sit? (*Ibidem*.)

Fuga Episcopatus.

CCXLIII. Principatum hujusmodi nihil ipse ambivisti, imbecillitatis tuæ conscius? Probe id ac recte. Oportebat ergo cum eodem hoc consilio, vocantibus etiam aliis tergiversari. An ne cum te nullus vocaret, imbecillus tu, ac minime idoneus eras: ubi primum vero comperti sunt qui honorem ad te deferrent, derepente in valentem atque idoneum evasisti? (*Lib.* 4. *Sacerd.*)

Verbum Dei cibus & medicina.

CCXLIV. Humana corpora curantibus, diversa suppetunt medicamenta: at vero nihil hujusmodi comminisci licet, sed una quædam post operum præstationem ars accurationis, via tenenda sequendaque est: nempe per sermonem Evangelicum doctrina. Siquidem hoc demum instrumentum est, hoc cibus, hoc aeris temperamentum optimum, hoc medicamenti instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice. Ac si vel urere vel secare opus, hoc ipso ut necesse: atque hoc si nihil profuerit, reliqua omnia evanida pereant oportet. (*Ibidem*.)

Sensus magis quam eloquentia in Verbo Dei nuntiando.

CCXLV. Nunc si placet, omnia illa prætermittentes, ac peregrinæ eloquentiæ ornatum ut supervacaneum ducentes, dictionem, enunciationemque negligamus: ac nobis orationis paupertatem sic permittamus, ut rerum verborumque compositio nuda nobis ac simplex sit, modo ne quis in cognitione atque adeo in dogmatibus diligenter excutiendis idiotam se præstet. (*Ibidem*.)

Concionator nec laudes quærat nec fugiat.

CCXLVI. Laudatur is ab hominibus, laudes non rejiciat: laudes ab auditoribus illi negantur; eas ne ambiat, neu negatis indoleat. Abundans enim illi fuerit laborum solatium, idque omnium certe maximum, si sibi ipse conscius esse poterit, ad hanc se rationem, doctrinam, eloquentiamque suam composuisse atque adaptasse, ut Deo illa placens acceptaque fiat. (*Lib.* 5. *de Sacerd.*)

Qualis sanctitas in Sacerdote.

CCXLVII. Si qui eremum inhabitant, quique procul tum ab urbe, tum a foro, tum a tumultibus illinc enascentibus securi liberique vivunt, denique qui perpetua portus tranquillitate perfruuntur, toto vitæ illius præsidio fidere nolunt, quinimo infinitas quoque addunt alias custodias.... quantam putas Sacerdotem præstare debere tum vim, tum potentiam, ut animam suam ipsius ab omni vindicet fœditate, ut spiritualem pulcritudinem illæsam atque incolumem servet? etenim multo major vitæ integritas huic, quam illis necessaria est. Cui porro integritas major necessaria est, hic certe pluribus quam illi iidem casibus obnoxius esse cogitur, qui eum conspurcare possunt, nisi continentem sobrietatem ac vehemens admodum studium adhibens, animum impervium impenetrabilemque præstiterit. (*Lib.* 6. *de Sacerdot.*)

Idem.

CCXLVIII. Talem quidem, tantamque Episcopo populi regendi cura molestiam difficultatemque affert. Quod si examinare ea quis volet, quæ illum præstare erga Deum oportet: quæ dixi, præ

præ illis nihil prorsus esse comperiet, tam ingens, tam sollicitum, tam exactum ea studium requirunt. Eum enim, qui pro civitate tota, quid dico civitate? imo vero pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat: qualem quæso esse oportet? porro illum ipsum oportet tanto omnibus in rebus iis præstare, pro quibus intercedit, quanto par est ut subditos præfectus excellat. Quum autem ille, & spiritum sanctum invocaverit, sacrificiumque illud horrore ac reverentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato, quæro ex te: quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim quales manus hæc administrantes esse oporteat, qualem linguam, quæ verba illa effundat, qua denique re non puriorem sanctioremve esse conveniat animam, quæ tantum illum, tamque dignum spiritum receperit? per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abunde licet vel ex tanto illo sacrificio quod tum peragitur. Ego vero & commemorantem olim quemdam audivi, cum diceret senem quemdam virum admirabilem, ac cui per revelationem mysteria multa divinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum a Deo esse, ac per illud tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) candidis vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium: denique sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente rege stantes videat. Id quod facile mihi persuadeo. Item & alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, quid & vidisset ipse & audisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum hinc recta in cœlum abducuntur. (*Ibidem.*) S.Jo.Chrys.

CCXLIX. Non potest Antistes qui gregis universi curam suscipit, viris tantum curandis operam dare, mulierum autem curam negligere; quo in parte magna profecto opus est providentia, quod facile ad peccandum quisque proclivis sit; sed illum oportet, cui administrandus Episcopatus sorte obvenerit, pro illarum salute, si non majorem, at parem certe curam studiumque impendere. Nam & eas invisere ægrotantes, & solari lugentes, & increpare languentes, & adjuvare afflictas oportet: quæ omnia dum fiunt, plures irrumpendi aditus dæmon invenire potest, nisi exactissima quis ac munitissima custodia se vallaverit. Quippe animum ipsum ferit ac commovet non impudicæ tantum, sed etiam pudicæ mulieris oculus: præterea & palpationes emolliunt, & honores mancipant. Et simul charitas fervens, eadem bonorum omnium auctor, Cautela Sacerdotis erga mulieres.

—— ctor, iis qui recte ea nesciunt uti, malorum omnium auctor est. S.Jo.Chrys. (*Ibidem*.)

Gravitas peccati in Sacerdote. CCL. Non mihi suadeo salvum quempiam fieri posse, qui pro salute proximi nihil laboris impenderit; quum neque miserum illum quicquam juverit, talentum sibi traditum non imminuisse; imo hoc ille nomine periit, quod illud non auxisset. Verumtamen levius mihi supplicium adfore puto, accusato cur & alios ipse non servaverim, quam si & me una item cum illis perdiderim, tanta ista sacerdotii dignitate suscepta, longe ipse deterior sceleratiorque effectus..... tunc enim me sane pœnam pendere oportebit, non duplam, sed longe multo graviorem, hoc ipso quod simul plures læserim, simul post majorem honorem acceptum, Deum optimum qui me honore illo dignatus fuerit, offenderim. (*Ibid.*)

Vigilantia contra dæmonem. CCLI. Adversus diabolum dimicanti numquam licet arma ipsa ponere, somnumve ullum capere, & præsertim qui perpetuo invulneratus prælio excedere volet. Ex duobus enim necessario alterum consequitur, ut aut cadat quis ac pereat armis spoliatus, aut continenter vigilet, armatusque stet. Siquidem ille continenter cum sua ipsius acie stat, socordias nostras observans, ac majus quidem afferens studium ad nostram internecionem, quam ad nostram ipsi nos salutem afferamus. (*Ibidem*.)

Ex Libris de Compunctione Cordis.

Cura salutis animæ. CCLII. Etenim si forte in corpore parum aliquid morbi pulsaverit, statim & medicos adhibemus, & pecunias profundimus, & omni observantia quod competit gerimus: nec prius absistimus quam quæ molesta sunt, mitigentur: anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur corporeis affectionibus, ac vitiis uratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat. (*Ibid. Lib. 1. de compunct. cordis.*)

Pœna gravis levis injuriæ. CCLIII. *Fatue* & *rhaca*, quod ait, hoc est quod ostendit, quia ne leve quidem & minimum in fratrem collatum convicium relaxabitur: atque ob id de levioribus sententiam dedit Christus, ut de gravioribus dubitare non debeas. (*Ibidem*.)

Pax cum inimico quærenda. CCLIV. Jubet Dominus relinqui donum ante altare, & prius reconciliari fratri, ut ex hoc discamus, quia nec illo tempore, quo ad ministerium Dei videmur accedere, reconciliationem dissimulari ac differri patitur Deus; quanto magis curari hoc in aliis temporibus jubet? (*Ibidem*.)

Pravi Christiani Antichristi. CCLV. Nonne videntur omnibus modis contraria esse præceptis Christi quæ gerimus, & magis pugnam esse nobis contra eum quam obedientiam? (*Ibidem*.)

Contra temere judicantes. CCLVI. *Nolite judicare ut non judicemini.* Si etiam nullum peccatum a nobis aliud fuisset admissum, pro hoc solo gehennæ nos tradi, satis abundeque sufficeret, quippe qui in aliorum delictis se-

veri

veri & amarissimi judices residemus; nostras autem trabes oculis infixas propriis non videmus; qui aliena etiam minima tam sollicite perscrutamur, & ad condemnandum cæteros omne vitæ nostræ tempus absumimus, a quo vitio neque sæculi hominum, neque monachorum, neque clericorum ullum facile invenias liberum. (*Ibidem*.) S.Jo.Chrys.

CCLVII. Si ad aliquam dispensationem vocaveris, aut aliquid ministerii divini injungere volueris, prima statim est sollicitudo, & prima statim verba sunt: si est ibi requies quo eundum est, si inveniantur quæ necessaria sunt abundanter, si nihil desit eorum quæ lata ac speciosa via deposcit. Quid ais, o homo, quid loqueris? arctam viam & angustam jussus es ambulare: ut quid de requie, ut quid de abundantia percunctaris? per angustam januam transire jussus es, ut quid amplos requiris ingressus? est aliquid ista permutatione nequius? est aliquid ista perversitate deterius? (*Ibidem*.) Contra delicias ministrorum Dei.

CCLVIII. Aut non tibi videtur absurdum, ut hi quidem qui humano amore flagrant, totam mentem suam, totamque cogitationem in illis habeant quos amant: & si absentes corpore sint, cogitatione tamen cum illis sunt: nec aliud aliquid sibi dulce esse in præsenti vita deputant, nisi aut ipsos videre si liceat: aut si id non potest, de ipsis absentibus cogitare: nos autem qui amore sancto, incorruptoque flagramus, omissa cura & sollicitudine ejus quem amamus, requirimus ea, quæ amorem nostrum non solum nil juvare, sed & impedire plurimum possunt. (*Ibidem*.) Contra fideles de Deo non cogitantes.

CCLIX. Ponamus ante oculos quanti doloris est excludi ac projici a regno cælorum, quod ut mihi videtur, gravius est ipsa gehenna. Nam etsi ignis ille non arderet, & immortalis illa pœna non esset parata, hoc solum quod alieni efficimur a Christo tam clemente, tam benigno, qui & seipsum pro nobis in morte tradidit, & omnia passus est, ut ab illo nos supplicio liberaret, suoque reconciliaret Patri peccatis nostris infenso, & excludimur a bonis æternis, nonne omni pœna gravius diceretur, & ad erigendas animas, atque ad spem sufficeret incitandas? (*Ibidem, cap. 7.*) Separatio a Deo omnium malorum maximum.

CCLX. Tu præstas aliquid quod Deo placeat, & aliam mercedem requiris? vere ignoras quantum boni sit placere Deo. Si enim scires, nunquam aliud aliquid extrinsecus mercedis aut muneris expectares. Nescis quia major augetur tibi merces, quando non spe mercedis operaris, sed studio placendi? aut non vides quomodo & apud homines illi maxime famuli diliguntur, qui non tam accipere aliud a dominis, quam placere eis & obedire gestiunt? (*Ibidem. Lib. 2. cap. 3.*) Opera nostra propter Deum.

Ex

S. JO. CHRYS.

Ex diversis Tractatibus.

In tribulatione ad Deum confugiendum. CCLXI. Qui imminere sibi cernit inimicum, majori ad illum currit desiderio, a quo defendi possit. Ita fere pueri, cum quid horrendum viderint, ad matrum sinus protinus fugiunt. (*De provid. Lib.* 1. *cap.* 4.)

Cura boni nominis. CCLXII. An nescis fulgidam Christiani vitam usquequaque lucere debere, & eum, qui suam gloriam fœdet, ubique postea inutilem, & nihil magnum lucrari posse, etiam si præclara facinora ediderit? *nam si sal infatuatum fuerit*, inquit, *in quo salietur?* sal enim nos esse vult, & lumen & fermentum Deus, ut & alii a nobis utilitatem accipiant. (*Ibidem cap.* 7.)

Ex Libris contrà vituperatores Vitæ Monasticæ.

Rari perseverant in via arcta. CCLXIII. *Arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam:* sin vero pauci sunt qui inveniunt, profecto longe pauciores erunt, qui ad summum ejus pervenire possint. Neque enim omnes qui illam initio apprehenderunt, ad finem etiam provecti sunt; sed alii quidem in ipsis statim initiis, nonnulli itineris medio, plurimi vero in ipsum jam portum invecti, naufragium fecerunt. (*Adverf. vituper. vitæ monast. Lib.* 1. *cap.* 8.)

Extremi judicii severitas. CCLXIV. Eorum quoque delictorum, quæ videntur esse levia & nulla, terribiles tunc pœnas expendemus. Adeo judex ipse pari & eadem fere diligentia & nostram & proximorum nostrorum salutem requirit a nobis; idcirco Paulus semper & ubique monet singulos *non quæ sua sunt quærere, sed quæ proximorum*. (*Lib.* 3. *cap.* 2.)

Parentes desides in cura filiorum parricidæ. CCLXV. Nulla alia ex ratione contingit ut perversi fiant liberi, nisi quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda, æquo amplius incumbunt, & fere dixerim insaniunt. Cum enim illa solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres, quod nemo tamen me commotius dicere, quam verius existimet, parricidis ipsis immaniores, & sceleratiores dixerim. Illi enim corpus ab anima separant, isti & animam & corpus æternis ignibus tradunt. Atque is quidem qui corpore occiditur, necessario naturali lege, etiam si necatus non fuisset, moreretur: hic vero sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi paterna negligentia consciviffet. (*Ibid. cap.* 4.)

Vitæ monasticæ felicitas. CCLXVI. Inde id quod omnia pervertit & perturbat, *meum & tuum*, penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum; & quod sane mirabilius est, unus etiam idemque animus omnibus est. Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, omnes eadem servitute servi, eadem libertate liberi, unæ illis omnibus divitiæ, quæ veræ divitiæ sunt: una gloria quæ vere gloria est. Non enim in appellationibus, sed

in

in ipsis rebus bona eorum consistunt. Una ibi voluptas, una jucunditas, unæ deliciæ, unum desiderium, una spes omnibus est. Ibi veluti quadam ex regula & libra cuncta diligentissime sunt ordinata. Nulla ibi inæqualitas, cæterum ordo summus, & moderatio & convenientia, & ineffabilis concordiæ servandæ diligentia, jugisque ac perpetua lætitiæ materia, (*Ibid. cap.* 10.) S.Jo.Chrys.

CCLXVII. Qui ad finem vitæ, philosophiæ hinc operam dare aggreditur, in hoc tempus omne conterit, ut possit ea quæ in priore ætate admisit peccata diluere; cunctumque illi studium in hac duntaxat parte consumitur; & ne sic quidem sæpe numero illi quantum satis est temporis suppetit, sed ex hac vita proficiscitur, vulnerum reliquias secum ferens. (*Ibid. cap.* 16.) Pœnitentia cito agenda.

Ex Epistolis.

CCLXVIII. Quod si id haud primum ac statim facit, hæc scilicet ipsius consuetudo est, ut rerum acerbitates non in principio extinguat, verum cum creverint, atque ad finem extremum pervenerint, jamque spes omnis a permultis abjecta sit, tum denique mira atque ab hominum opinione aliena facinora edere soleat; nimirum & vim suam ostendens, & eorum qui in calamitates incidunt, patientiam exercens. (*Epist.* 1. *ad Olimp. Diaconiss.*) Cur Deus differat auxilium.

CCLXIX. Cum aliquem stragem, perniciemque commemorantem audieris, ab hujusmodi cogitatione quamprimum te remove, atque ad formidandi illius diei cogitationem curre, & tecum horrendum illud tribunal considera, incorruptum judicem, igneos amnes, qui pro illo tribunali trahuntur, & ardentissima flamma ebulliunt, peracutos gladios, atroces pœnas, cruciatum sempiternum, tetram caliginem, exteriores tenebras, pestiferum vermem, vincula quæ nulla vi frangi queant, dentium stridorem, ejulatum consolationis expertem, orbis theatrum, vel potius utriusque naturæ theatrum, hoc est superioris & inferioris.... Tum nemo qui e supplicio eripiat, affuturus est, non pater, non filius, non filia, non mater, non alius quispiam cognatus, non vicinus, non amicus, non patronus, non pecuniarum largitio, non opum amplitudo, non authoritatis atque potentiæ tumor; verum hæc omnia, non secus ac pulvis e pedibus, excussa sunt, ac solus is qui causam dicit ex iis quæ ab ipso gesta sunt, vel absolvitur, vel condemnatur. Tunc nemo ob ea quæ alius perpetravit, in judicium vocatur, sed pro iis quæ ipsemet commisit. (*Epist.* 2. *ad eamd.*) Pœnarum inferni acerbitas.

CCLXX. Nihil est quod ad laudem & gloriam adipiscendam cum patientia in doloribus comparari possit. Nam ea præsertim virtutum regina & coronarum apex est, & quemadmodum ea virtutibus aliis præstat, ita in ea hoc potissimum genus aliis antecellit. Nihil æque grave est & acerbum, ut adversa corporis valetudo. (*Epist.* 4. *ad eamd.*) Præmium patientiæ in infirmitatibus.

Ex

S.JO.CHRYS.

Ex Sermonibus de diversis.

Injuriæ in proximum difficilius a Deo condonantur.

CCLXXI. Quid melius eo domino, cui cum deberentur decem millia talentorum, ne verbo quidem stomachatus est, aut scelestum appellavit servum ..... sed cum adversus conservum improbe egisset, stomachatur: ut discas ipsum facilius quod in se peccetur, quam quod adversus alios, remittere solere. Sic alibi: *Si affers donum tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversus te, abi primum ut reconcilieris fratri tuo, &c.* Vides quam ubique nostra suis anteponat, pacemque & charitatem proximorum summo loco constituat. (*Serm. de diversis.*)

Injuriæ condonandæ necessitas.

CCLXXII. Nihil ita studeamus, quam ut ira vacemus, & nobis infensos reconciliemus: cum istud haud dubie constet, nullam nec orationem, nec eleemosynam, nec jejunium, nec participationem mysteriorum, aut aliud quidquam, si memores offensarum simus, nobis patrocinari posse in illa die: & contra si hoc peccatum superemus, etiamsi mille delictis inquinati simus, veniam aliquam exorare licet. Nec meus sermo est iste, sed illius qui tunc judicaturus est nos Dei: *Si remiseritis, &c.* (*Ibidem.*)

A prædicatione non cessandum.

CCLXXIII. Fontes quamvis nemo hauriat, tamen scatebras emittunt; & amnes etiamsi nemo bibat, nihilosecius fluunt; sic oportet & illum qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen præstare quidquid in eo situm est. Siquidem hæc lex sacri sermonis administris a benigno Deo præscripta est, ne unquam quod in ipsis fuerit facere defatigentur, neque ullo tempore sileant, sive sit qui auscultet, sive qui prætercurrat, negligens quod dicitur. Et id in Jeremia Scriptura nobis demonstrat. (*De Lazaro con.* 1.)

Merces laborum & fructus prædicantium Verbum Dei.

CCLXXIV. Si vis imbrium præfocarit sementem, cogitur agricola vacuis abire manibus: nostra vero, cum loquimur ac exhortamur, non est eadem conditio. Imo si semen per te jactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati consilii mercedem fers a Deo; nec minus accipies præmii non auditus, quam accepturus eras, si ille obtemperasset. Quod erat in te præstitisti, non ad id ut persuadeamus auditoribus sumus adstricti, sed tantum ut admoneamus: nostræ sunt partes admonere, illorum vero obtemperare. (*Ibidem.*)

Evangelistarum concordia & varietas.

CCLXXV. Interea quæ referuntur ab Evangelistis, alia dicuntur a quatuor communiter, alia speciatim a singulis. Quam ob causam? ut simul & nobis esset necessaria reliquorum sacra lectio, & evidenter perspicua fieret illorum inter ipsos consonantia. Etenim si omnes omnia dixissent, nequaquam ad omnes cum studio animum adjecissemus, cum unus ad omnia docenda suffecisset; sin autem omnes diversa omnia atque variata protulissent, nequaquam insignis illorum apparuisset concordia. (*Ibidem.*)

CCLXXVI.

CCLXXVI. A Lazaro & divite discamus non pro beatis habere divites, neque pro miseris habere pauperes. Imo si verum fateri licet, ne dives quidem ille est qui multis opibus circumvallatus est, sed qui non eget multis. Nec is pauper est, qui nihil possidet, sed qui multa concupiscit. Ab his discite hunc esse finem paupertatis & opulentiæ: si quem videris multa concupiscentem, existimato illum esse omnium pauperrimum, etiam si possideat omnium opes. Rursum si quem videris non multis egentem, illum omnibus opulentiorem esse ducito, etiam si nihil possideat. Nam mentis affectu, non facultatum modo paupertatem & opulentiam æstimare consuevimus. (*Serm.* 2.) S. Jo. Chrys. Magis dives qui minus desiderat.

CCLXXVII. Anima frequenter nunc emergit, nunc in profundum demergitur, metuitque & horret cum est a corpore discessura. Nam cum semper nos stimulat peccatorum conscientia, tum maxime illa hora, cum hinc sumus adducendi ad illa tribunalia, metuendumque judicium. Tum si quis rapuit, sive fraudavit, sive contumelia affecit, sive cuiquam præter causam inimicus est factus, sive aliud quodcumque facinus perpetravit, universus illic peccatorum cumulus renovatur, oculis exhibetur, mentemque stimulat: sicut qui tenentur in carcere, semper quidem dejecti sunt, sed maxime sub illum diem quo sunt educendi & ad ipsas judicis fores pertrahendi. (*Ibidem.*) Metus peccatoris.

CCLXXVII. *Rapina pauperis est in domibus vestris*, inquit Propheta, declarans divitibus quod res pauperum possident, etiamsi indecumque collegerint pecunias. Quoties igitur eleemosynas non præstiterimus, pari cum his qui spoliant supplicio afficiemur. Steriles enim pecuniæ sunt undecumque eas collegerimus.... Ideoque plura tibi possidere concessit Deus, non ut in scortationes, temulentiam, ingluviem, vestes sumptuosas, aliamque mollitiem consumeres, sed ut ea distribueres egenibus.... Etiamsi fueris opulentus, si plus quam opus est insumpseris, rationem reddes pecuniarum tibi creditarum.... Etenim accepisti plura cæteris, non ut ea solus consumas, sed ut eorum cæteris fias bonus dispensator. (*Ibidem.*) Superfluum pauperibus debetur.

CCLXXIX. Neque enim fieri potest, non potest inquam fieri, ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spiritali. Imo præclare nobiscum agitur, etiamsi perpetuo hujus medicamenti participes, aliquando salutem consequi possimus. (*Conc.* 3. *de Lazar.*) Lectio spiritualis.

CCLXXX. Simul atque tetigit aliquis Evangelium, mox suam ipsius mentem composuit. Quod si accesserit diligens lectio, non aliter quam in sacris adytis, rebus divinis initiata anima, sic repurgatur, meliorque redditur, Deo per ipsas scripturas cum illa colloquente. (*Ibidem.*) Scripturarum simplicitas & utilitas.

CCLXXXI. Sunt nonnulli qui si convicio affecti fuerint, aut in podagram, capitis dolorem, aliumve hujusmodi morbum inciderint, illico blasphemias effundunt; ac molestiam quidem sustinent, cæte- Impatientia mala auget.

S. JO. CHRYS. rum fructu privantur. Quid facis, o homo, in beneficum, in provisorem, in servatorem convicia jaciens? nec te sentis in præcipitium abripi? num si blasphemiam proferas, leviorem reddis morbum? exacerbas potius cruciatum ... propterea diabolus innumeras impingit molestias, ut in illud barathrum te præcipitet: auget dolorem, quo stimulatus rursus indigne feras. (*Ibidem.*)

Pœnæ & præmia in alia vita. CCLXXXII. Nonne vides multos qui cum virtute vixerunt, innumeraque mala passi sunt, decessisse nulla re bona percepta? Alios contra cum multam pravitatem commiserint, & innumeris bonis fruiti fuerint, decessisse ne tantulum quidem mali passos. Quæ illi priores igitur vel virtutis præmia, recipient, vel isti pravitatis supplicia, si nostræ res ultra vitam hanc non proferuntur? (*Ibid.*)

Conscientia Judex severus. CCLXXXIII. Judicem in animo perpetuo vigilantem & attentum constituit Deus conscientiam. Externi judices corrumpi possunt .... at conscientiæ tribunal nulli hominum novit cedere .... quidlibet feceris, justam feret sententiam adversus eorum qui peccant cogitationes & consilia: adeo ut etiamsi nullus alius accuset, ipse qui peccatum admisit se condemnet.

Militas Confessionis. CCLXXXIV. Nihil tam exitiale peccato quam peccati accusatio, condemnatioque, cum pœnitudine lacrymisque conjuncta. Condemnasti tuum peccatum, deposuisti sarcinam. Quis hæc dicit? ipse judex Deus: *dic tu peccata prior, ut justificeris.* (*Ibidem.*)

Mala non timenda, sed crimina. CCLXXXV. Alii quidem omnes nuper ob terræ motum timore correpti erant, ego vero propter causam terræ motus. Illi pertimescebant ne concideret civitas; ego vero quod Dominus iratus nobis esset, metuebam: non enim grave est mori, sed Dominum irritasse. Itaque non jam ob terræ motum pavebam, sed ob causam terræ motus; causa enim terræ motus est Dei ira; porro causa divinæ iræ nostra sunt peccata. Noli, inquam, supplicium timere, sed peccatum parentem supplicii. (*In terræ mot. & Lazar. Serm. 6.*)

Sola animæ bona æstimanda. CCLXXXVI. Quid prodest homini si aliena habeat, sua non habeat; pecunias possideat, virtutibus careat? villam, inquis, fertilem habeo; at animam fertilem non habes; habeo indumenta, sed non habes pietatem. Si quis depositum tibi tradiderit, num te divitem possem vocare? minime, quippe qui possideas aliena. (*Ibidem.*)

Deus reddet unicuique juxta opera sua. CCLXXXVII. Fieri non potest, ut homo sit ita penitus justus, ut a peccato sit mundus; neque ut ullus ita sit malus, quin habeat aliquod saltem exiguum bonum... Omnium autem est retributio, omnium remuneratio. Improbus si quid boni fecerit, boni non mercede privatur. Ac rursus licet innumera bona præstiterit, si quid mali commiserit, manet illum retributio mali. (*Ibidem.*)

Pulchritudo animæ. CCLXXXVIII. Corporis pulchritudinem & morbus labefacit, & temporis longitudo corrumpit, & senectus extinguit, & mors ingruens totam e medio tollit. At animæ pulchritudinem non tempus, non morbus, non senectus, non mors, nec quidquam a-

liud

liud hujusmodi potest perdere, sed perpetuo floret. (*Homil. 7. in paralytic. in Joan. 5.*)

CCLXXXIX. *Omnis Scriptura divinitus inspirata*, dum legitur attentis animis, adfert notitiam pietatis: sed profecto Evangeliorum sacrosancta descriptio longe præstantioribus documentis antecellit. Quæ enim in his extant eloquia, summi sunt Regis oracula. Quamobrem horribile prorsus iis, qui quæ ab eo præcepta sunt vere non servarint, impendet supplicium. (*Serm. 10. de instituenda vita, &c.*)

Evangelii excellentia.

CCXC. *Dimitte nobis debita nostra, sicut, &c.* Quibus verbis res omnino tres complectens agit. Eos qui ad summum virtutis gradum pervenerunt, sentire de se mediocriter docet; neque recte satis admodum confidere, sed trepidare, præteritorum memores peccatorum exemplo Pauli Apostoli .... eos vero qui post sancti Baptismatis gratiam lapsi sunt, de salute desperare non sinit; sed quid ab ipso animarum medico expetendum sit, docet, medicina scilicet remissionis. Præterea benevolentia erga homines ac humanitate nos imbuit.... nam tanta nos venia dignos ducimus, quantam debitoribus nostris ipsi dedimus. (*Serm. 10. de instituenda vita, &c.*)

In Deo sperandum.

CCXCI. *Quid est illud, descendens videbo si clamorem qui ad me venit compleverint....* Non quod ignorem ego, sed homines a me doceri velim, ne temere fidem verbis adhibeant..... Verum ubi prius ipsi diligenter palpaverint, & rem ipsam experimento didicerint, tum demum esse credendum. Nihil enim ita vitam hominum pessundat, ac si quis statim iis quæ passim dicuntur fidem adhibeat. Hoc prophetans David dicebat; *detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* (*Serm. 11. in quatrid. Lazar.*)

Contra temeraria judicia.

CCXCII. Quando Ecclesia nuper erat plantata, quando tenera erat, omni ex parte multa in eam cura impendebatur; postquam autem coaluit, & radices egit, & in sublimitatem ascendit, postquam universum terrarum orbem complevit; munimenta removit Christus, & de cætero sustulit tutamina. Propterea initio quidem indignis dabantur dona; quoniam hoc auxilio fidei fovendæ indigebat antiquitas; nunc autem neque dignis conceduntur; fidei quippe robur & firmitas hoc subsidio non egent. (*Serm. 12. in inscript. Act. Apost.*)

Ecclesia non indiget miraculis.

CCXCIII. Ingens telum est oratio: curam pauperum omittebant Apostoli, ut plus illis otii ad vacandum orationi suppeteret. (*Ibidem.*)

Oratio aliis bonis operibus præferenda.

CCXCIV. Reprehensiones non ex malitia, sed cura proximi proficiscuntur. Igitur gratias habeo his qui me reprehenderunt, ac candide asseverare queo, quod amem amicum, non solum quando laudat, sed & quando reprehendit & corrigit. Nam omnia laudare, tam quæ male se habent, quam quæ bene, non fuerit amici, sed irrisoris; nec diligentis, sed decipientis. Laudare si quid fiat ut debet, reprehendere autem, si peccatum est,

Veri amici signa.

S. Jo. Chrys.

amici est & curam agentis. (*Serm.* 13. *de ferendis reprehensionibus*.)

Idem.

CCXCV. Amici, sive juste, sive injuste arguunt, non exprobrare volunt, sed emendare. (*Ibidem*.)

Correctio prudens salutaris.

CCXCVI. Magnum bonum est ferre posse reprehensiones, magnum etiam bonum est posse reprehendere: nam hoc fides & cura quam debemus proximo exigunt. (*Ibidem*.)

Etiam inferiorum correctiones acceptandæ.

CCXCVII. Moses videns tot millia hominum præsentia, imo tot myriades futuras, non erubescit, sed prædicat omnibus idque scriptis, quod socer suus animadverterit ea quæ ipse non intellexerat. Et quare hoc fecit, quare factum hoc memoriæ commendavit? non aliam ob causam quam ut nos doceret, ne unquam de nobis ipsis sublime sentiamus, etiamsi omnibus sapientiores simus; neque aliorum consilia contemnamus, etiamsi omnibus viliores habeantur. (*Ibidem*.)

Christus in tribulationibus laudandus.

CCXCVIII. Ne simus illis infensi, qui tentationibus nos divexant; licet enim illi id agant, ut consilium suum expleant, communis tamen Dominus hoc permittit, quod nos velit hac ratione spiritualem hunc quæstum facere, ac patientiæ mercedem obtinere. Si ergo quæ inferuntur mala cum gratiarum actione perferamus, non exiguam delictorum nostrorum partem delebimus. (*Serm.* 15. *in illud diligent. Deum*, &c.)

Christiani invicem utiles.

CCXCIX. Non tantum nobis prodesse nos debere, sed multis ostendit Christus, cum *Solem* nos, ac *fermentum* & *lucem* vocavit. Hæc enim aliis sunt utilia & commoda. Lucerna non sibi lucet, at illis qui sunt in tenebris; & tu lucerna es, non ut lumine solus fruaris, sed ut illum errantem reducas. (*Serm.* 16. *in illud*, *si esurierit inimicus*, &c.)

Fidelium mores instructio aliorum.

CCC. Major est ista doctrina quæ moribus, quam quæ conversatione profertur. Etsi nihil dicas, si tantum exeas e collecta, & externa specie, aspectu, voce, incessu, & tota reliqua modesta corporis compositione, lucrum quod hinc retulisti, ostendas hominibus qui collectæ interfuerunt, ad cohortationem & consilium id sufficit. Sic enim egredi nos hinc oportet, quasi ex sacris adytis, quasi de cælo delapsos, modestiores redditos, moderate ac temperate cuncta facientes ac docentes; ut uxor maritum a collecta recedentem videns, filium pater, & patrem filius, dominum servus, amicum amicus, inimicum inimicus, omnes utilitatis sensum capiant, quam ex hoc conventu reportavimus: capient autem, si mitiores, si patientiores, si religiosiores vos factos animadvertant. Veniat tibi in mentem quibus mysteriis interesse tibi datum sit, cum quibus mysticum illum cantum offeras, cum quibus ter sanctum hymnum pronunties. Doce prophanos te cum Seraphim choros agitasse, te ad cælestem populum pertinere, te cum Domino collocutum, te cum Christo fuisse consociatum. (*Ibidem*.)

Turpia verba non audienda.

CCCI. Ut ignis alimentum ligna sunt & sarmenta, ita pravæ cogitationes verbis aluntur. (*Serm.* 18. *in illud propter fornicat.* &c.)

CCCII.

CCCII. Nullus eorum qui in urbe sunt, inquis, talia præstitit. Tu vero incipe, & præclaræ consuetudinis auctor esse contende, ut eam tibi posteri acceptam ferant. (*Ibidem.*) S.Jo.Chrys. Bonæ consuetudinis Auctor laudandus.

CCCIII. Hæc duo sunt, quorum causa nuptiæ sunt institutæ, ut caste vivamus, & ut patres fiamus. Horum autem duorum antecedens castitatis est occasio. Postquam enim ingressa est libido, conjugium quoque ingressum est, ut immoderatum usum resecaret, ac persuaderet una muliere contentum esse. (*Ibidem.*) Duplex conjugii finis.

CCCIV. Multa nobis sit erga pauperes benignitas, multa providentia: satagamus spiritualem quamdam negotiationem exercere, neque plus inquiramus, quam nostra exigat necessitas & usus. Hæ veræ sunt divitiæ, hæc vera abundantia, hic verus thesaurus est qui non deficiet, si omnia nostra in cælos transferamus. (*Serm.* 21. *in illud, oportet hæreses, &c.*) Necessaria sufficiant.

CCCV. Impense nobis observandus dies Dominicus, quem si quis natalitium totius humanæ naturæ appellat, haud aberrabit. Perditi enim eramus & inventi sumus; mortui & reviximus; inimici eramus & reconciliati sumus. Spiritali autem honore hunc diem venerari oportet, non ebrietatibus choreisque vacando, sed indigentes fratres liberalitate facili juvando. (*Serm.* 22. *de eleemos. & col.*) Cultus diei Dominicæ.

CCCVI. Si cupimus fidem radicatam habere, vivendi ratione pura nobis opus est, quæ spiritum retineat, a quo totam vim fidei dependere constat. Impossibile enim est, si vitam impuram habeas, in fide non vacillare. Certe qui de fato nugantur, & salutari de resurrectione sermoni non credunt, ob malam conscientiam & mores depravatos in hoc incredulitatis barathrum seipsos præcipitant. (*Ibidem.*) Fides periclitatur in peccatoribus.

CCCVII. Alendi sunt, inquit, liberi, quamobrem non suppetit, unde obvios sublevare possim. Quid ais? imo propter hoc ipsum sublevandi sunt egeni, ut exigua pecunia Dominum qui eos tibi dedit propities, ut etiam post mortem tuam patronum illi relinquas, ut ei magnum favorem cælitus concilies, dum ex illa pecunia sumptus Deo gratos facis. (*Serm.* 24.) Multitudo filiorum eleemosynam non impediat.

CCCVIII. Tu cum seminandum est, non magni facis quod evacuas fructuum veterum promptuaria, sed ad messis futuræ fructum spectas; idque cum eventum nescias; nam & rubigo, & locusta, & aeris intemperies quandoque spes nostras frustratur: cum vero in cælum semen est jaciendum, ubi nullæ sunt tempestates, nulla læsio, tergiversaris ac procrastinas? quam igitur speras veniam? nam si terra reddit quod sibi creditum est, multo magis Dei manus, quæcumque acceperit, magno cum fœnore est reddítura. (*Ibid.*) Eleemosyna semen.

CCCIX. Sæpe enim contingit ut quæ studio nostro efficere non possumus, ea per preces efficere valeamus, per preces, inquam, perpetuas. (*Serm.* 27. *de profectu Evang.*) Oratione omnia consequimur.

S. JO. CHRYS. Semper orandum. CCCX. Semper orandum est, & in afflictione & in prosperitate. Illi quidem qui in bonis & prosperitate, ut immota hæc maneant; huic autem qui in angustiis & afflictione, ut benignam eorum vicissitudinem sentiat... tempestatem vides gravem, ora Deum ut avertat ipsam, & ex ipsa tranquillitatem faciat. Exauditus es; gratias age quod exauditus es. Non exauditus es; persevera ut exaudiaris. Et si differt aliquando Dominus, non ideo te aversatur; sed differendo diutius te vult servare secum, sicut & patres filios indulgentius amant, quo illos diutius apud se detineant quos desides vident, dedita opera morantur aliquid daturi. Cæterum non opus tibi patronis apud Deum, neque multo aliis discursu ut blandiaris; sed licet solus sis, patronoque careas, & per te ipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. (*Ibidem.*)

Efficacia orationis pro se ipso. CCCXI. Tria hæc nempe quod indignum frequens conversatio dignum reddat; quod Deus magis annuat si per nos ipsos oremus quam si alii orent; & quod dando sæpe differt, non ut nos vacuis manibus amandet, sed ut bonorum majorum nobis causa fiat; tria hæc, inquam, ex parabola Chananææ manifesta fiunt. (*Ibidem.*)

Uxoribus parcendum. CCCXII. Etsi plurimum uxor in te peccaverit, totum ei remitte & condona: si male moratam nactus fueris, refinge eam ad bonitatem ac mansuetudinem sicut & Christus Ecclesiam. (*Serm.* 28. *quales sunt ducendæ uxores.*)

Ex aqua & sanguine J.C. renascimur. CCCXIII. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non introibit in regnum cælorum.* Sanguinem autem appellat spiritum. Et nascimur quidem per aquam Baptismatis, alimur autem per sanguinem. Vides quomodo simus ex carne ejus, dum ex sanguine illo & aqua tum nascimur. Et quemadmodum Adamo dormiente mulier est condita, sic Christo mortuo facta est Ecclesia ex ejus latere. (*Ibidem.*)

Mariti & uxoris munia divisa. CCCXIV. Mulieris officium est, ut parta custodiat, & curet rem domesticam: nam & in hoc Deus eam dedit, ut hac re & in cæteris nobis sit auxilio. Quoniam vita hæc nostra e duobus constat, e rebus privatis & publicis: suam utrique partem Deus attribuit; fœmineo quidem generi curam rei domesticæ, viris autem negotia publica... Non potest mulier in senatu sententiam dicere, sed potest de re familiari ferre sententiam, & sæpe melius quam maritus prospexit rebus domesticis. Non potest administrare rempublicam, sed pulchre potest educare liberos, quæ quidem præcipua est possessio; potest in officio continere familiam; aliasque securitates exhibere marito libero tali solicitudine, dum ipsa domi curat penum, lanificium, culinam, decorem vestium, cæteraque neque decora maribus, neque facilia. Est enim & hoc divinæ providentiæ, quod is qui in majoribus negotiis est utilis, in minoribus reperitur deterior, ut necessaria sit mulierum opera. Si enim in utrisque vir præcelleret, facile contemneretur genus fœmineum. (*Ibidem.*)

CCCXV.

CCCXV. Unum in conjugio quæramus, nempe virtutem animi, & morum egregiam indolem, ut pace fruamur, & oblectemur concordia, perpetuaque benevolentia. Qui enim divitem ducit uxorem, dominam magis sibi quæsivit quam conjugem. Cum enim & absque hoc mulieres ingenio superbo sint, honorisque cupido, si opes quoque accesserint, quomodo erunt maritis tolerabiles? Qui autem æqualem duxit, aut opibus sibi imparem, is adjutricem duxit & sociam, & omnia bona suis induxit ædibus.... Sicque vivamus ut vitæ tædeat; sed ut fruamur adjutorio & portum habeamus, refugium atque solatium, quo levius feramus incommoda, atque jucundis uxoris recreemur colloquiis. (*Ibidem.*)

S. Jo. Chrys. Virtus præferenda divitiis.

CCCXVI. Si quid Deo parum favente aggredimur, etiamsi omnia sint plana & facilia, voragines & innumeras frustrationes obiter offendimus: rursum eodem adjuvante, licet omnia quæ habemus præ manibus sint impeditissima, plana fiunt & facilia. Nihil igitur nec faciamus, nec dicamus, nisi invocato Deo, ut conatus nostros adjuvet. (*Ibidem.*)

A Deo opera incipienda.

CCCXVII. Nubant.... semper invocantes Dominum, ut mediator adsit omnium actionum. Si enim res nostras hoc pacto disposuerimus, nullum divortium erit, nulla adulterii suspicio, aut occasio zelotypiæ, non rixa, non contentio, sed multa fruemur pace, multaque concordia, a quibus non aberunt virtutes ceteræ. Sicut enim uxore a marito dissidente, nihil sani est in ædibus, etiamsi alioquin eorum res secundo ferantur statu; ita dum pax constabit & concordia, nihil erit insuave, etiamsi quotidie tempestates accidant plurimæ. Si hoc modo conciliabuntur nuptiæ, perfacile poterimus ad virtutem educare liberos. Ubi enim mater tam honesta fuerit ac sobria, omnique virtute prædita, profecto maritum desiderio sui capiet ac devinciet; atque ita habebit eum adjutorem alacrem in curandis atque instituendis communibus liberis; simulque Deum ad prospiciendum eis attrahet: quo aspirante tam honestæ administrationi domesticæ, & exercente puerorum animos, omnia post hac jucunda erunt & felicia rebus tam bene compositis, & iis qui præsunt sic affectis: poteritque unusquisque una cum sua domo, videlicet uxore, liberis, ac famulis, & præsentem vitam secura agere, & ad cælorum regnum pervenire. (*Ibid.*)

Nubere volentes divinum lumen implorent.

CCCXVIII. Nos tum arma, tum medicinam, rebus pacatis præparemus, ut si quando perturbationes, vel ærumnæ, vel dolores invadunt, adversus omnes diaboli impetus armati & vallati, cum multa peritia illum depellamus; & recta ratione, verbo Dei, bonorum exemplis, omni denique via nos muniamus. (*Serm. 26. in illud de dorm. malo, &c.*)

In pace preparatio ad pugnam.

CCCXIX. Viduitas quidem calamitatis esse nomen videtur, sed tamen non est; verum dignitas, honor & gloria maxima, non opprobrium, sed corona. Licet enim maritum non habeat vidua, tamen secum Christum habet, a quo universa quæ ingruant mala propulsentur. Sufficit enim, dum injuriis vexatur vidua, ut in-

Viduarum protector Deus.

troeat, genu flectat, acerbe ingemiscat; ejusmodi enim sunt arma viduæ lacrymæ, gemitus, ac preces assiduæ. Per hæc non humanas tantum injurias, sed dæmonum etiam incursus poterit propulsare. (*Serm. 29. in illud, vidua eligatur, &c.*)

S. JO. CHRYS.

Viduitas ad pietatem apta.

CCCXX. Vidua a sæcularibus negotiis immunis est, ad cælum autem deinceps tendit; & quod erga virum studium & cultum exhibeat, eum in res spiritales potest impendere. (*Ibidem.*)

Orphanis & viduis succurrendum.

CCCXXI. Vis intelligere quanta res sit vidua? quam sit apud Deum honore digna & amore, utque summopere suo possit apud Deum patrocinio juvare... audi Deum ipsos Judæos sic alloquentem: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis.... manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Attamen his sceleratis homicidis.... se reconciliatum iri pollicetur, si viduis injuria affectis auxilium ferant.... *judicate pupillo, & justificate viduam; & venite; & si fuerint peccata vestra quasi coccinum, sicut nivem dealbabo.* (*Ibidem.*)

Matres socordes matricidæ.

CCCXXII. *Si filios educavit.* Educationem non hanc simplicem quam vulgus censet, dum fame confectos liberos non negligimus; hoc enim ne ipsa quidem naturæ necessitas unquam omitti permittet, quo fit, ut neque mandatis hac de causa sit opus & legibus, sed justitiæ curam, educationem cum pietate, hoc loco intelligit: quod alioquin eæ quæ hoc pacto non educant, parricidæ potius sint quam matres. (*Ibidem.*)

Pœna parentum socordium.

CCCXXIII. Eos qui liberorum curam non gesserint, tametsi in cætero modesti fuerint atque moderati, ob illud peccatum gravissimas pœnas luituros, ex Heli constat historia.... *Ne filii ita faciatis*, inquiebat Heli ad filios, (reprimens quidem, sed non tanta cum diligentia & vehementia quanta opus fuit). Quid ais? Deum injuria affecerunt, & filios appellas? conditorem ignorarunt, & tu propinquitatem illorum agnoscis? propterea dicit Scriptura, eum non admonuisse filios. Admonitio enim est, si non utcumque consilium demus, sed vehementius & acrius; & si quantam vulneris requirit ulcus, tantam plagam infligamus. Non ergo sufficit si solum dicamus, sed & multum incutere timorem oportet, ut juventutis desidiam excutias.... filiorum factus est Heli parricida. Licet enim filios ejus hostes occiderint, ille tamen cædis auctor fuit, quod sua circa illos negligentia Dei auxilium ab illis averterit, & nudos ac desertos iis qui necare vellent objecerit: neque vero solum illos, sed & seipsum cum illis interemit. (*Ibidem.*)

Fructus bonæ & pravæ educationis.

CCCXXIV. Si tu filium tuum recte educaveris, ita suum filium ille, & alter suum; ac veluti catena quædam & series optimæ conversationis ad omnes usque perveniet, a te ducto initio & radice, unde tibi ob susceptam filiorum curam fructus nascentur. Si parentes diligenter liberos suos erudirent, non legibus, non judiciis, non pœnis ac suppliciis opus foret, quoniam autem illorum curam non gerimus, idcirco majoribus illos malis involvimus, & car-

& carnificum illos manibus dedimus, atque in barathra frequenter impellimus. (*Ibidem*.) S.Jo.Chrys.

CCCXXV. Omnis improbitas liberorum ex negligentia nostra oritur; & quod non a principio, neque a primæva ætate ad pietatem ipsos informaverimus. Ut imbuantur profanis disciplinis operam damus.... ad spectacula quidem frequenter ascendere sinimus, ad Ecclesiam autem numquam venire compellimus, sed si semel aut iterum parvulus huc adveniat, temere, frustra, atque animi causa huc advenit. At non ita fieri oportuit; sed quemadmodum cum ad scholas mittimus, disciplinarum ab illis rationem exigis, ita cum ad Ecclesiam mittis, vel potius ducis: non enim aliis illos committere, sed illos tenentes huc oportet intrare, & eorum quæ hic audiverint & didicerint, memoria reposcenda est. Sic enim fieret, ut a nobis facile ad meliorem frugem liberi revocarentur. Nam si & domi perpetuo vos de philosophia loquentes audirent, & quod opus facto esset consulentes, & cum illis adjungerentur quæ hoc loco dicuntur, quamprimum istorum seminum fructum uberem nobis producerent. (*Ibidem*.) Pietas in pueris fovenda.

CCCXXVI. *Esurientem me aluistis*. Quatuor exhibet eleemosynæ necessitas: quod Dominus sit is qui petit; quod urget inopia dum fames premit; quod facile sit largiri, cum alimenta postulet, non delicias; quod magna remuneratio expectetur, cum pro exiguis istis sit promissum regnum. Inhumanus & immisericors es? reverere dignitatem ejus qui postulat: at respectu dignitatis non exoraris? calamitate saltem flectere. Sed neque calamitatis ratio te ad misericordiam inflectit? ob petitionis facilitatem concede. Neque dignitas, neque inopia, neque largitionis facilitas commovere te potest? saltem igitur ob bonorum eorum, quæ promissa sunt, magnitudinem, egeno præbe. (*Ibidem*.) Hortatio ad eleemosynam.

CCCXXVII. Cum ali te opus fuerit, ne carni quidem parcit Christus: cum tibi potum dare opus fuerit; ne Sanguini quidem suo parcit, nec illum invides: tu vero ne panem quidem impertis, nec calicem? quam tandem veniam impetrabis, qui tot bonis tam pretiosis acceptis, tam vilibus parcas? vide ne frequenter cum Christo largiri ad lucrum recusaveris, ad damnum diabolo largiaris. (*Ibidem*.) Ingratitudo eleemosynam negare.

CCCXXVIII. Jam nos ad terribilem mensam cum debita reverentia, cum congrua vigilantia opportunum tempus invitat. Nullus ibi Judas reperiatur, nullus malignus accedat, nullus cum veneno, nemo cum fuco & hypocrisi... & nunc præsto est ille Christus, qui illam ornavit mensam, ipse quoque istam consecrat. Non enim homo est qui proposita Corpus Christi facit & sanguinem; sed ille qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. *Hoc est corpus meum*; hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dixit, *crescite & multiplicamini*, & *replete terram*, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem ope- Præsentia realis in Eucharistia.

[redacted] operante natura; ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem. (*Serm. 30. de prodit. Judæ.*)

S. Jo. Chrys.

Væ indigne comunicantibus.

CCCXXIX. Nullus fucato animo tantis audeat mysteriis proximare, ne quod Judas sustinuit mercatur & patiatur. Nam in illum post communicationem mensæ diabolus intravit, non quia contempserat Dominicum corpus, sed quia impudentia Judæ & malignitas mentis, ut adversarius in eo habitaret effecit. Ut discas quod indigne communicantibus maxime parantur a diabolo insidiæ. Honores enim dignis afferunt emolumentum, indignis autem majus attrahunt supplicium. (*Ibidem.*)

Idem.

CCCXXX. Non ista dico ut terream, sed ut cautiores efficiam. Hoc sacrificium cibus spiritalis est. Et sicut corporalis cibus, cum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, & plus lædit, & nullum præstat auxilium; ita & iste spiritalis cibus, si aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdet, non sua natura, sed accipientis vitio: pura igitur mens sit in omnibus, quia & sacrificium purum est. (*Ibidem.*)

Reverentia erga Eucharistiam.

CCCXXXI. Cum accessuri estis ad tremendam ac divinam illam mensam & sacra mysteria, cum timore ac tremore hoc facite, cum pura conscientia, cum jejunio & precatione, non tumultuantes, non proximum propellentes: extremæ enim hoc est superbiæ, & contemptionis minime vulgaris, etiam talia perpetrantibus punitionem multam conciliat: tecum reputa, homo, qualem hostiam es contrectaturus, qualem mensam aditurus. Tecum reputa, quod cum *terra sis & cinis*, Corpus & Sanguinem Christi sumis. Et si vos Rex quidem ad convivium vocet, cum timore accumbitis, cibosque appositos cum reverentia & silentio sumitis. Deo autem te ad summam cœnam vocante, filiumque suum ibi apponente, ubi Angelicæ potestates adsistunt cum timore & tremore; ubi Cherubim velant facies suas, atque Seraphim cum clamore clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus*; tu audes vociferando ac tumultuando ad spiritale illud convivium accedere. (*Serm. 31. de die nat. Christi.*)

Pœnitentia post Baptismum laboriosa.

CCCXXXII. Prima peccata gratia & benignitate virtutis Christi crucifixi, cuncta deleta sunt. Quæ vero post Baptismum commissa sunt, multo indigent studio ut rursus deleantur: quando quidem neque secundum est lavacrum, sed lacrymis indigent nostris, confessione, eleemosyna, precibus, aliisque generibus omnibus pietatis. Sic etiam post Baptismum delentur peccata, multa tamen cum labore & fatigatione. (*Serm. 36. de Pœnit.*)

Contra irreverentes.

CCCXXXIII. Quid facis homo, quid sub horam terribilis mysterii in vaniloquentia occuparis? nonne promisisti Sacerdoti, qui dixit: *Sursum mentem & corda*, & dixisti, *habemus ad Dominum*? nonne erubescis? & illa ipsa hora mendax inveniris? Papæ! mensa mysteriis structa est, & Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur; ignis spiritalis e sacra mensa refluit, Cherubim

bim adstant, Seraphim advolant, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt, ignis spiritalis e Cælo descendit, Sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est, & non erubescis, revereris & confunderis, neque Deum tibi propitium facis? non conscientia te judicat, o homo? centum sexaginta octo horas habente hebdomada, unam & solam horam sibi segregavit Deus, & hanc in opera secularia, & in ridicula insumis? cum qua postea fiducia ad mysteria accedes? (*Serm.* 38. *de pœnitentia.*)

Nulla venia non parcentibus.

CCCXXXIV. *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Terribile est mysterium hoc quod dicitur, & ferme sic ad Deum clamat qui hoc dicit; dimisi, Domine, dimitte; solvi, solve; ignovi, ignosce; si non solvi proximo, neque tu mea solvas; si non dimisi, neque tu dimittas; si invadi, invade; si durus fui, durus esto; & in qua mensura metior proximo, eadem remetiaris mihi. (*Ibidem.*)

Effectus miri prædicationis Evangelicæ.

CCCXXXV. Paulus homo ignobilis, abjectus, artem exercens in pellibus, in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio & Romanos, & Persas, & Parthos, & Scythas, & omne hominum genus sub jugum miserit veritatis... quodque majori dignum admiratione, discipulorum quoque illius plurimi, pauperes, imperiti, in fame & egestate viventes, ignobiles, quod certe etiam ipse commemorare non erubuit, talem potentiam obtinuerunt. (*Serm.* 42. *de Laud. S. Pauli.*)

Scripturarum meditatio.

CCCXXXVI. In Scripturis non sola lectio sufficit ad reconditos bonorum thesauros indicandos, nisi profundum scruteris. Si lectio sufficeret, non dixisset Eunucho Philippus: *Putasne intelligis quæ legis?* si lectio sufficeret, Judæis Christus non dixisset: *Scrutamini Scripturas*.. (*Serm.* 49. *in illud, Paulus vocatus.*)

Omnia ad Dei gloriam.

CCCXXXVII. *Paulus vocatus;* aliud nihil indicat nomen illud, nisi Paulum nihil ex recte factis sibi proprium arbitrari, sed omnia Domino Deo tribuere. (*Ibidem.*)

Pacem inimico offeres.

CCCXXXVIII. Accedere te pudet & deosculari eum qui te affecit injuria. Imo vero hoc laus est, hoc corona, hoc lucrum & thesaurus bonis innumeris cumulatus. Ipse te commendabit inimicus, laudabunt omnes qui aderunt, & licet homines reprehendant, Deus sine dubio coronabit. Quod si expectes ut prior veniat ac veniam petat, non tantum quantum ille facies; siquidem ille præmium præripiet, & totam benedictionem in se transferet. (*Ibidem.*)

Ecclesiæ adhærere.

CCCXXXIX. Ne dies, aut tempora, aut annos observemus, sed ubique diligenter Ecclesiam sequamur, & charitatem ac pacem omnibus præferamus. Licet enim Ecclesia falleretur, non tantum laudis ac lucri ex temporum exacta ratione, quantum vituperii ex divisione ac schismate nasceretur. (*Serm.* 53. *in eos qui cum Judæis jejunant.*)

CCCXL.

S. Jo. Chrys. Bonorum operum oblivio & peccatorum memoria. CCCXL. Ne simus recte factorum memores, ne nobis id accidat quod Pharisæo. Nam quemadmodum peccatorum recordari bonum est, ita recte factorum bonum est oblivisci. Quoniam recte factorum quidem memoria nos in superbiam erigit; peccatorum autem memoria mentem deprimit, atque humilem reddit; atque illa quidem negligentiores efficit, illa vero diligentiores nos reddit..... Noli ergo recte factorum meminisse, ut meminerit illorum Deus: *Dic peccata tua primus ut justificeris*, & rursus: *iniquitatum tuarum non recordabor*, inquit, tu recordare. (*Serm. 56. non esse desper.*)

Divitiarum & paupertatis bonus vel malus usus. CCCXLI. Nec divites quoscumque vitupero, nec pauperes quoscumque laudo. Nam neque divitiæ malum sunt, sed divitiis male uti; neque paupertas bonum, sed paupertate bene uti. (*Serm. 57. pecc. non evulganda.*)

Propria crimina considerare, non aliena. CCCXLII. Inde mala cuncta nascuntur, quod in aliorum quidem peccata diligenter inquirimus, nostra vero negligenter admodum prætereamus. At contrarium agendum esset: propriorum quidem numquam esset obliviscendum, aliena numquam oporteret in mente versare. Id si faciamus, & Deus propitius nobis erit, & odio prosequi proximum desinemus, & nullum unquam habebimus inimicum. (*Ibidem.*)

Pastorum dolor in arguendis peccantibus. CCCXLIII. In corporum quidem curatione, qui plagam infligit, nullum plagæ sensum capit, sed ille qui secatur solus doloribus cruciatur: at in animarum curationibus non ita; nisi forte fallor, dum ex meis de aliorum rebus judico; sed ipse prior cruciatur qui cæteros increpat. Neque enim sic a cæteris reprehensi dolemus, ac si alios reprehendamus ob peccata, quibus ipsi sumus obnoxii. Statim enim objurgat concionatorem conscientia, quodque videat se magisterii dignitate decoratum in eadem cum discipulis peccata prolabi, atque iisdem reprehensionibus indigere, graviorem concionatori dolorem ineunt. (*Serm. 58. non esse ad gratiam concio.*)

Væ Concionatoribus veritatem celantibus. CCCXLIV. Moneo me non a me ipso latas leges exponere, de cælo delapsas litteras legere; ac proinde necessarium esse, ut cum hoc mihi creditum sit ministerium, aut quæ continentur illis confidenter ac libere dicam, & utilitatem ubique non voluptatem quæram auditorum; aut eorumdem odium reformidem, & hoc intempestivo beneficio salutem meam simul & auditoribus admodum periculosum esse, quippiam ex legibus divinis celare; ac tamquam cædis patratæ reos judicari doctores, nisi absque Dei metu cuncta Dei decreta promulgent, Pauli vobis testimonio comprobabo.... *Mundus sum ego a sanguine omnium*, quid ita? *non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei*. Itaque si subterfugisset, quominus annuntiaret, mundus a sanguine non fuisset, verum ut homicida damnatus esset, ac merito sane. Nam homicida corpus tantum inerficit; qui vero ad gratiam concionatur, & segniores reddit auditores, animam perdit: atque ille quidem præ-

senti

fenti morti tradit; hic vero animam ad æterna supplicia transmittit. (*Ibidem* .) S.Jo.Chrys.

CCCXLV. Eos qui hic lugent, consentaneum est illic consolari; eos qui hic in deliciis degunt & rident, nec ullo propter admissa peccata dolore tanguntur, plane illic lugere, ac lamentari, ac frendere dentibus est necesse. *Beati* quippe *ii qui lugent*, *quoniam ipsi consolabuntur*. *Væ vobis qui ridetis*, *quia flebitis*. (*Ibidem*.) Libentius in mundo pati quam in alia vita.

CCCXLVI. Advocata conscientia nostra rationes exigamus ab ea verborum, actionum, cogitationum, disquiramus quid utiliter sit insumptum, quid in nostrum damnum; quis sermo fuerit impensus in detractiones, in turpiloquia, in contumelias; quænam cogitatio ad lasciviam oculum incitarit; quod damnosum consilium in opus exierit, sive manibus illud, sive lingua, sive oculis fuerimus executi. Et ab intempestivis quidem sumptibus abstinere studeamus, in locum autem eorum quæ male insumpta sunt, alios reditus recondamus.... Castigemus ergo vel sub prandium, vel sub vesperam, conscientiam nostram, mentem increpemus, cor nostrum ita vehementer compungamus, ut non amplius, ubi surrexerimus, in idem peccati barathrum audeamus nos impellere, vespertinæ memores sectionis. *Quæ dicitis in cordibus vestris*, *in cubilibus vestris compungimini*. (*Ibidem*.) Examen conscientiæ.

CCCXLVII. *Circumcurrite & videte in viis Jerusalem*, *si est aliquis faciens justitiam*, *& propitius ero ei*. Vides benignitatem: unius virtute multi etiam pravi fruuntur .... unus quidem homo qui recte vivet, integrum populum eripere poterit iræ divinæ. (*Ibidem*.) Sanctitas unius salus multorum.

CCCXLIII. Semper quidem malum est ebrietas, præcipue vero festo Martyrum die. Nam præter peccatum, contumelia est maxima, & stultitia, sacrorumque eloquiorum contemptus; quam ob causam & duplicem pœnam meretur. (*Ibidem*.) Gravius peccatur in diebus festivis.

CCCXLIX. Talis res est malitia; si cum primum initium duxerit, non cohibeatur; tamquam ignis arida ligna corripiens, sic in immensum crescit. (*Serm. 60. Dæmones non gubern. mund.*) Peccatum statim cohibere.

CCCL. Vel eorum quæ commisimus luimus pœnas, dum castigamur; vel occasionem accipimus coronarum, si dum recte vivimus, malis affligimur. Itaque sive in justitia, sive in peccatis vivimus, utile nobis est puniri; quod id aliquando illustriores nos reddat, aliquando modestiores efficiat, ac futurum supplicium nobis mitiget. (*Ibidem*.) Utilitas afflictionis justis & injustis.

Ex libro contra eos, qui scandalizantur.

CCCLI. Quam ob causam, inquiunt, cum resurrexisset Christus, non statim Judæis apparuit? verum vanus est iste sermo.... Nequaquam enim illos ad fidem pellecturum fuisse, etiam si post resurrectionem apparuisset, per Lazarum indicavit. Cum enim mortuum Sapientia Christi.

[redacted] tuum hunc fœtentem & corruptum suscitasset; ita ut in conspe-
S. Jo. Chrys. ctum omnium prodiret, non solum Judæos ad fidem non attraxit, sed etiam irritavit.... Nec minus valuit, quam si quis Christum excitatum a mortuis cerneret, quod Petrum dicentem audiret: *In nomine Jesu Christi, surge & ambula*: atque hoc plurimum valuisse ad fidem resurrectionis astruendam, faciliusque miracula quæ in ejus nomine facta cernebantur, quam si a mortuis illum excitatum vidissent, constabit. (*Serm. 63. in Pentec.*)

Apostolorum amor erga Christum jam mortuum.

CCCLII. Nemini accidit ut qui amicum aut magistrum superstitem deseruerit, vita functum plurimi faciat; actum præcipue, cum propter exhibitam in eum benevolentiam mille pericula sibi viderit imminere. Ecce tamen illud quod nulli accidit, in Christo & discipulis evenit; & qui viventem illum negaverant ac deseruerant, & comprehensum reliquerant & aufugerant, post innumera illa opprobria & crucem tanti eum fecerunt, ut pro ipsius confessione ac fide animas etiam suas exponerent. Enim vero si Christus mortuus non resurrexisset, qui potuisset fieri, ut qui superstite ipso, ob periculum fugerant imminens, eo jam vita functo, propter illum mille periculis se objicerent? (*Ibidem.*)

Arcta via.

CCCLIII. Quando quidem per angustam & arctam viam incedimus, nos etiam oportet nos ipsos coarctare & comprimere, ut arctam & angustam conficere viam possimus. Nam qui se ipsum dilatat, non ita facile viam angustam percurret, sed qui se ipsum cohibet, comprimit & constringit. (*Serm. 64. de nominum mutat.*)

Futura prospicere.

CCCLIV. Molesta non sunt tormenta illis qui futura respiciunt, & ad certaminis præsidem & muneratorem aspirant. Sic B. Stephanus quia Christum spectabat, propterea lapidum imbres non respiciebat, sed illorum loco præmia coronásque numerabat. Tu igitur a rebus quoque præsentibus oculos tuos ad futura converte, ac ne brevem quidem capies sensum malorum. (*Serm. 65. de Martyrib.*)

Bona spiritualia æterna.

CCCLV. Talis est spiritualium rerum natura, distributione crescit & divisione multiplicatur. (*Ibidem.*)

Deus minatur ut parcat.

CCCLVI. Si punire cuperet Deus, taceret; misereri vult, propterea monet; prædicando terret te, ne reipsa in pericula incidas. Deus enim cum servare vult, minatur; cum vero silet, statuit castigare.... Comminatus est Ninivitis, & pepercit: tacuit apud Sodomitas, & punivit. (*Serm. 66. de Sancto Basso.*)

Cæremoniæ Episcopalis Ordinationis.

CCCLVII. Idcirco in Ecclesia, cum ordinantur Sacerdotes, Evangelium Christi capiti imponitur, ut discat is qui ordinatur veram se recipere Evangelii tiaram; atque ut discat, quamvis sit omnium caput, se tamen legibus illis subjici: & cum, qui omnibus imperat, legis imperio subesse, eumque qui omnibus dat mandata, a legibus mandatum accipere. (*De uno Legislatore.*)

Intercessio Sanctorum & Angelorum.

CCCLVIII. Pro piis hominibus & Angelicus exercitus propugnat, & Prophetarum Chorus, & Apostolorum potestas, & Martyrum

tyrum preces. Noli enim existimare, Martyres tantum pro nobis orare: quin & Angeli, rebus nostris adversis, pro nobis deprecantur, neque deprecantur, sed & responsum a benefico Domino accipiunt. (*Ibidem*.) S. Jo Chrys.

Ex aliis Sermonibus de diversis.

CCCLIX. Quicumque figuram turturis portatis in vestra mente, hujus sobrie imitemini castitatem: talis etenim est omnis casta Ecclesia: viro quippe ejus Christo crucifixo, & in cælis ad dexteram Patris sedente, alteri viro non commiscetur, sed ipsum desiderat, ipsum expectat, & desiderio ejus commmori cupit. (*Serm. in Psal.83.*) Christum desiderare.

CCCLX. Propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli, & quid plura dicam? propter Ecclesiam unigenitus Dei filius homo factus est, sicut dicit Paulus: *Qui proprio filio non pepercit.* Proprio filio non pepercit, ut Ecclesiæ parceret; Sanguinem filii effudit propter Ecclesiam. Sic Sanguis irrigat Ecclesiam, & ideo plantaria ejus marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta ejus. (*Serm. de Pentecost.*) Omnia in bonum Ecclesiæ.

CCCLXI. Non est vitium ullum, quod non pœnitentia resolvatur. (*Serm. de Chananæa.*) Nullum peccatum irremissi ile.

CCCLXII. Quid sibi vult ista dilatio? ut inde edocearis non esse studium precandi, orandique remittendum: ut inde discas, si quid, quod obesse possit, petas, si contra quod tu velis, eveniat, non angaris neque doleas. Sæpenumero siquidem petis, quod prodesse quidem tibi existimas, quod tamen obest. Deus autem non lacrymas, sed miseriam tuam considerat. (*In illud, sufficit tibi gratia mea, &c.*) Perseverantia in Oratione.

CCCLXIII. Qui sacrorum studiosus est librorum, jure dici poterit amator Christi, secundum quod dictum est a Domino: *Qui diligit me, sermones meos servat.* Et *qui diligit, diligetur a Patre meo.* Talis enim indelebilem in corde suo continet Dei memoriam. (*Serm. de pseudo-Prophetis, &c.*) Amor Scripturarum amor Christi.

CCCLXIV. Dominus clamat: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Vide ne in sermone isto relaxeris, dum ineffabilem ipsius benignitatem audis. Non enim nudam dumtaxat vocationem dixit: sed adjecit illud, *ad pœnitentiam:* non ad res ridiculas, sed ad pœnitentiam & lacrymas: non ad verba otiosa, sed ad glorificandum Deum. Non ad prandia opipara ac cœnas & ebrietatem, sed ad jejunium, vigilias atque orationes. Non vocavit ad choreas, citharizationes, & profana ac diabolica cantica: sed ad luctum & tribulationem atque angustiam, dicens: *Beati qui lugent nunc*, videlicet peccata sua. Incipe ergo pœnitentiam agere, frater, pone principium tantum, & Deus pœnitentium adjuvabit te, teque corroborabit, & multum invenies gaudium. (*Ibidem.*) Jesus clemens erga pœnitentes.

CCCLXV. Paratus esto, charissime, & quotidie mortem expecta, Præparatio ad mortem.

[redacted] S. Jo. Chrys. cta, & eum qui tuam repetet animam. Ne hodie pœnitentiam agas, & cras obliviscaris. Ne hodie plangas & cras ridicule tripudies. Ne hodie jejunes, & cras ebrius prodeas. Ne hodie vigiliis te dedas, & cras supinum ac desidem te præbeas: sed veram atque legitimam pœnitentiam ostendas ut coroneris. Ne adulteres virtutem. Ne fugias laborem ut non priveris corona. Oderis quodcumque seculi istius gaudium ac gloriam. Invisa tibi sit via lata ac spatiosa. Oderis delicias, odio persequere impunitatem atque licentiam. (*Ibidem*.)

Semper & ubique orare. CCCLXVI. Sine intermissione orate: hoc est in omni tempore, & nocte & die, & quacumque hora: & dum intentus es operi, & iter facis, & curas gregem, & agrum colis, & dormis. Ne diem expectes Dominicum, aut festum aut locorum differentiam: non enim circumscribitur numen divinum. (*Ibidem*.)

Maria virgo ante & post partum. CCCLXVII. Mulier sine viro peperit, ut miraculi communione naturæ æqualitatem ostenderet. Nam quemadmodum ab Adamo costam abstulit, & Adamum nihil imminuit, sic & in Virgine animarum templum effinxit, & virginitatem minime solvit. Salvus & incolumis remansit etiam post costæ privationem Adamus. Incorrupta etiam Virgo permansit, postquam infans ex ea prodiit. (*Ibidem*.)

Custodia oculorum. CCCLXVIII. Divinum magnumque mysterium non in pecuniis positum est, sed in perfecta voluntate ac proposito, & in Deum fide. Omnes enim promisimus, & omnes promissionis debitores sumus. Itaque necesse est ut reddat virgo quidem virginitatem quam & promisit: continens vero continentiam. Qui autem matrimonio junctus est, temperantiam, & ad invicem charitatem. Nam quæ virginitatem se servaturam, aut in viduitate continentiam promittit, si promissi fidem fefellerit, atque ad nuptias se transtulerit, damnationem habet, quia primam fidem irritam fecit. Merito autem & Presbyter reddere debet Sacerdotium acceptum, & Diaconus, seu minister, ministerium irreprehensibile. (*Serm. de fugienda simulata specie*.)

Conversio peccatoris ad Deum. CCCXIX. Aperi nobis vineam tuam, Domine: tametsi nos circa undecimam horam advenimus, ne succenseas nobis, ut qui tardi fuerimus, Domine, neque mansuetos oculos tuos, humanitatis tuæ januas claudas: præcedentem nostram negligentiam damnamus: quod non paruerimus læsi sumus: quod dormierimus, damnum fecimus: dum oblectamur, naufragium sumus passi: spoliati sumus, dum ludimus, periimus dum rebus vanis animum recreamus. Vix tandem evigilavimus, vix torporem excussimus, vix quod expediebat, invenimus: vix bellum effugimus: renunciavimus penitus malo: renunciavimus perniciosis malis & otiosis deliciis: salvatori deinceps nos adjungimus soli Deo: excipe confessionis nostræ libellum, ut præfinitam mulctam reformidantes, ea quæ pacti sumus, observemus.... Volumus tua mandata peragere: volumus intra vineam reperiri: volumus ut appropinquantes tibi

tibi degere: cum operarii essemus, toto vitæ nostræ tempore male viximus: volumus quod reliquum est bene vivendo traducere. (*Serm. in parabol. patris fam. qui conduxit oper.*) S.Jo.Chrys.

CCCLXX. Non licet aut dicere quid præclarum, aut excogitare quid sapiens, aut agere quicquam admirabile, nisi quæ dicuntur, quæque cogitantur, & quæ aguntur, a Spiritu Sancto confirmentur. (*De cæco & Zach.*) Nulla virtus sine gratia Spir. S.

CCCLXXI. Pertimesce, ne cum tu rides, Dominus irascatur, qui *beatos* dixit eos *qui flent*, & infelices eos qui rident: ne lusum tuum ac dissolutum risum, timorisque Dei defectum, ac rerum utilium oblivionem cum offenderit diabolus, in animam tuam insiliat, & zizania sua spargat. (*Religiosum facetiis uti non debere.*) Contra immoderatum risum.

CCCLXXII. Non solum ut animam tuam defendas rationem reddes, sed ob eos etiam, quibus scandalo fuisti. (*Ibidem.*) De dato scandalo reddenda ratio.

CCCLXXIII. Quemadmodum in more positum est ut in atriis templorum sint fontes, ut qui preces ad Deum fusuri sunt, ubi prius manus abluerint, sic deinde ad preces illas extendant; ita & pauperes fontium loco, pro foribus patres statuerunt, ut quemadmodum aqua manus oblinimus, sic humanitate prius animas abstergentes deinde precemur. Non enim ita labes corporis abluit aquæ natura, ut animæ sordes eleemosynæ virtus abstergit. (*De negat. Petri.*) Eleemosyna præparatio ad orationem.

CCCLXXIV. Ne mihi dixeris, tot dies jejunavi, hoc & illud non comedi, vinum non bibi, illuviem pertuli; sed ostende mihi, an cum iracundus esses, lenis factus sis.... quoniam si ebrius sis iracundia, quid carnem affligis? si intus sit invidia & avaritia, quid proderit aquæ potus? non quæro nunc qualis sit mensa, sed an malæ mentis facta sit mutatio. Si domina, nimirum anima, fornicatur, cur ancillam, ventrem, inquam, flagellas? si anima seducitur, per corpus maceras? (*De jejun. & eleemosyn.*) Jejunium quando inutile.

CCCLXXV. *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*; est enim ala orationis eleemosyna, nisi orationi tuæ alam addideris, minime volat; cum vero fuerit alis prædita anima, in cælum evolat. (*Ibidem.*) Eleemosyna orationi jungenda.

Ex Homiliis in Acta Apostolorum.

CCCLXXVI. Si novisses quod Episcopus debet omnium onera gestare; quod aliis irascentibus datur venia, ipsi vero nequaquam; quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi vero minime; haud quaquam accurreres.... Dic mihi si qui decem habet filios subditos, assidue cum ipso viventes, cogitur sine intermissione curam illorum agere, quid non patietur is qui tot habet, non domesticos, sed in sua ipsorum potestate obedientiam habentes? *Sed habetur*, inquiunt, in honore. Quis honos? homines triobolares convicia ja- Pericula Episcopatus.

S.Jo.Chrys. culantur in illum in foro. Cur igitur illis non occludit os? admodum fane. Non opus Episcopi narras.... quis eloqui possit in dicendo ac docendo sollicitudinem? quis difficultatem in electionibus.... ubique premitur ab amicis & inimicis, a suis & ab alienis.... Si vehementer commoveatur, audit crudelis; si parum, audit frigidus. Sed oportet hæc duo contraria concurrere, sic ut nec contemnatur, neque odio habeatur. (*In Act. Apostol. Homil.* 3.)

Correctio acerba. CCCLXXVII. Nos quibus debemus esse utiles, iis & graves & injucundi videmur: non enim utiles sumus docendo ea quæ oblectant, sed ea quæ mordent. Talis est & medicus; at ille quidem non valde injucundus. Statim enim cum sua arte utilitatem adhibet, nos autem in futuro. (*Homil.* 5. *in cap.* 2.)

Juranti minor fides. CCCLXXVIII. Si non juravero, inquis, non credetur mihi. Tu horum causa es, qui tam prompte ac facile juras: quod si hoc non esset, sed omnibus esset manifestum quod non jures; crede mihi, vel solo nutu plus crederetur tibi, quam iis qui innumera juramenta dejerant. Cui igitur magis creditis, mihi non juranti, an jurantibus? (*Homil.* 9. *in cap.* 4.)

Amor mediocritatis. CCCLXXIX. Semper quod mediocritatem custodit, amabile est: quod vero modum non servat, injucundum. (*In cap.* 7. *Homil.* 16.)

Proximo prodesse tenemur. CCCLXXX. Potest unusquisque proximo prodesse, si voluerit quod suum est implere.... qui autem sua dumtaxat considerant, velut arbores infrugiferæ, ad incendium parantur. (*Homil.* 20.)

Nunquam desperandum. CCCLXXXI. Magna pœnitentiæ remedia sunt. Nullus seipsum condemnet. Ille revera desperatione dignus, qui de seipso desperat; ille nullam salutis spem habet. Non grave est venisse in profundum malorum, sed manere ibi postquam veneris. Non impium est venisse in profundum malorum, sed contemnere postquam eo veneris... multa in corpore vulnera insanabilia, animæ vero nulla. (*In cap.* 11. *Homil.* 24.)

Justi persecutioni obnoxii. CCCLXXXII. *Qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*; & si non ab hominibus, certe a dæmonibus. (*Ibidem*.)

Variæ eleemosynæ species. CCCLXXXIII. Eleemosyna non in solis fit pecuniis, sed etiam in operibus, ut patrocinari, manum viduæ porrigère adjutricem. Hujusmodi enim patrocinium sæpe plures servavit, quam pecuniarum largitio...., medicus es arte, diligenter cura infirmos, est etiam hoc magnum. Vales consilio, hoc omnibus majus est, quanto & majus habet lucrum. (*In cap.* 11. *Homil.* 25.)

Utilitas persecutionis. CCCLXXXIV. Magnum bonum est persecutio, & magnæ ac generosæ opus animæ.... ibi ubique alacritate opus est, multo fervore, anima ad mortem parata. Neque aliter regnum acquiritur nisi per crucem. (*In cap.* 14. *Homil.* 31.)

Dæmon timendus & cavendus. CCCLXXXV. *Non est nobis certamen adversus carnem & sanguinem*. Et prandentibus & ambulantibus adest inimicus. Nescit quie-

quietis tempus ne quidem somni; tunc enim sæpius cogitationes immittit immundas, & a somniis intemperantiores reddit. Nos autem, quasi parva res sit propter quam præliamur, non sumus sobrii, non excitamur, non videmus multitudinem adversariarum potestatum .... ac dum in tantis periclitamur, agimus ac si pax esset. (*Ibidem*.) S. Jo. Chrys.

CCCLXXXVI. Non solæ afflictiones, sed etiam tentationes clariores nos reddunt. (*Homil.* 33.) Tentationum utilitas.

CCCLXXXVII. Sicut otium mala res est, ita & operatio quæ non congruit ....: Igitur utrumque fugiamus, & otium, & opus otio deterius. (*Homil.* 35. (Otium & inutilia vitanda.

CCCLXXXVIII. Servi & mulieres crediderunt, inquiunt gentiles deridentes; sed quid dicere poterunt, quando & eos qui in dignitatibus constituti sunt, adducemus, Proconsules, ipsos Imperatores, & Reges? (*Homil.* 35.) Fides parvulorum.

CCCLXXXIX. Gesta offendere, lacrymas funde, & ita accede; & statim invenies Deum propitium.... Non adeo cupis dimitti peccata tua, sicut Deus cupit. (*Ibidem*.) Misericordia ineffabilis Dei.

CCCXC. Duorum istorum diligens faciamus examen; quid nos quidem peccaverimus in Deum; & quid boni in nos ille contulerit. Ita & grati erimus, & omnia effundemus. At nullus hæc recogitat. (*Homil.* 38.) Peccata nostra & dona Dei perpendenda.

CCCXCI. *Præveniamus invicem honore*. Si præveneris honore, te ipsum honore magno ornasti. Ubique primatum aliis concedamus; nihil eorum quæ erga nos facta sunt malorum cogitemus, sed si quid bonum. Nihil sic facit amicum ut lingua gratitudinis studiosa, os bene loqui solens, anima sine fastu, contemptus vanæ gloriæ, contemptus honoris. (*Homil.* 40.) Modestia & caritas amicitiæ fontes.

CCCXCII. Christiani ex his quæ graviter ferunt, duplex lucrum reportant. Unum quidem quod humiliores & modestiores fiunt. Alterum, quod pœnas hic suorum peccatorum dantes, puri ad Dominum migrant. (*Homil.* 41. *in cap.* 19.) Duplex afflictionum utilitas.

CCCXCIII. In peccatis duplicia gravia sunt; unum quidem quod impingimus; alterum quod deteriores efficimur. Attendite quod dicimus. Non in hoc solo lædimur a peccato quod peccamus; sed & aliud gravat quod & anima recipit habitum; sicut & in corpore fit, quippe post morbum fimus infirmiores .... sic in anima peccatum ubi patratum fuerit, relinquit venenum. (*Ibidem*.) Criminum funesti effectus.

CCCXCIV. Timeo ne derideat, ne contemnar. Miser homo, non vis a conservo derideri, sed odio haberi a Domino tuo? non vis contemni a conservo tuo, & contemnis Dominum? non putas indignari Dominum quod illum contemnis; & quod illum deridens, non vis ei obtemperare? (*Ibidem*.) Non irrisio hominum, sed odium Dei timendum.

CCCXCV. In theatro risus, turpitudo, pompa diabolica, effusio, insumptio temporis inutilis, concupiscentiæ præparatio, adulterii meditatio, scortationis gymnasium, intemperantiæ schola, adhortatio turpitudinis ac exempla.... Magna igitur mala theatra ci- Contra Theatra.

vitatibus inferunt; magna profecto, & neque hoc scimus quod magna sunt. (*Homil.* 42. *in cap.* 19.)

S. JO. CHRYS.

Pati pro fratribus. CCCXCVI. Nos in pericula propter fratres jaciamus, sive ignis sive ferrum fuerit. Abjice te ipsum dilecte, ut tuum membrum eruas. Abjice te ipsum ne timeas. Discipulus es Christi, propter fratres animam suam posuit. Condiscipulus es Pauli, qui innumera mala pati propter eos, qui se impugnabant, voluit. (*Ibidem.*)

Humana gloria spernenda. CCCXCVII. Nobis ne curæ sit quid multi sentiant, neque ultra quam oportet de gloria solliciti simus. Deo vivimus, non hominibus: in cælo cives sumus, non super terram. Illic præmia laborum nostrorum jacent, illinc expectamus laudes, illinc coronas. Eatenus curemus homines, ne eis offendiculo & damno simus. Si autem nos illis offendiculum non damus, & illi voluerint nos absque causa vituperare, rideamus, ploremus. (*Homil.* 46.)

Pacem petendo hostem prævenire. CCCXCVIII. Læsus es..... & qui te læsit superbus est, inquis; verum ob hanc rem ne sis tardus ad eum accedere.... Tu causam dixisti propter quam prior debes ad illum accedere, quia sanus es, & videre potes. Ille in tenebris est. Ita enim se habent ira atque superbia. Tu qui ab his es liber & sanus accede. Ne quis dicat medicorum, quoniam infirmus est non vado; sed propter hoc maxime vadat.... quod si hoc ipso magis extollatur, inquis, nihil ad te. Nam tu quidem quod tuum est fecisti; ille autem sibi imputet: ne condemnetur nostra conscientia, quasi aliquid omissum sit nostri officii. (*Homil.* 50. *in cap.* 25.)

Terrena spernenda. CCCXCIX. Fatendum est quod hæc potissimum sit voluptas, quando mœror non interturbat.... Multa vero afferunt tristitiam, quia sola necessaria non reputantur. Uter igitur magis contristabitur, qui nihil terrestrium curat, vel qui curat?.. Qui unum Dominum timet, vel qui plures? Igitur major hic voluptas est. Igitur hanc sectemur, & ne simus erga terrena ita affecti; sed rideamus omnem hujus vitæ apparatum, & frugaliter vivamus; ut possimus jucundam hanc vitam transigere, & promissa bona assequi. (*Homil.* 52. *in cap.* 26.)

Ex Homiliis super Epistolam ad Romanos.

Deo gratiæ agendæ. CD. *Primum quidem gratias ago Deo meo .... super omnibus vobis:* Conveniens Pauli proœmium ad erudiendos nos, tum operum, tum sermonum bonorum decimas esse Deo offerendas. (*Hom.* 2. *in Epist. ad Rom. cap.* 1.

Terminos a Deo statutos tenere. CDI. Quidquid terminos a Deo statutos transgreditur, id absurdarum ac minime legitimatum rerum appetens est. Quemadmodum fieri sæpe videmus ut qui ciborum appetitionem amiserint, terram ac lapillos comedant. (*Homil.* 4. *in cap.* 2.)

Præsentia Dei. CDII. Dei exactum timorem ante oculos habeamus, nihil enim ita hominem perdit, quam si illum contingat ab hac anchora excide-

S. Jo. Chrys.

cidere; ſicut nihil contra ita illum ſervat, quam aſſiduus in illum aſpectus. Nam ſi hominem cum præſentem contuemur, tum ſæpe ad peccandum tardiores reddimur.... conſidera quantam adepturi ſimus ſecuritatem, ſi nos contigerit Deum aſſidue in oculis ferre, nuſquam diabolus nos ſic compoſitos adorietur. (*Ibidem.*)

Timor ſervilis quando pravus.

CDIII. Si nullam aliam ob cauſam, certe ob hanc unam gehenna digni ſumus, quod videlicet plus gehennam quam ipſum Chriſtum timemus. (*Homil.* 5.)

Hominum Ingratitudo erga Deum.

CDIV. Deus nullius rei noſtræ indigens, ne ſic quidem nos amare deſinit. Nos vero illius admodum egentes, ne ſic quidem amori illius adhæreſcimus. Verum tum fortunæ bona, tum hominum amicitias, tum corporis otium, tum gloriam illi præferimus, qui nobis tamen nihil anteponendum putat. Unum enim cum haberet filium, ne huic quidem propter nos pepercit.... Nonne igitur merito nobis gehennam comminatur? Quod ſi ſupplicium vel decies millies gravius foret. (*Ibidem.*)

Fetalis utilitas peccati.

CDV. Quid nobis venter redditurus eſt, multa cum aſſumpſerit? ſtercus ac corruptionem. Quid autem inanis gloria? invidentiam ac malignitatem. Quid autem avaritia? curam ac ſollicitudinem. Quid intemperantia? gehennam ac vermem venenatum. Hi ſunt divitum debitores, uſuras id genus pendentes, nimirum hic incommoda, tum autem & quæ expectantur mala. His ergo debitoribus pecunias noſtras mutuas dabimus, ac non potius ipſas Chriſto credemus, cælum, vitam immortalem offerenti? (*Ibidem.*)

Quid liberis relinquendum.

CDVI. Si liberis tuis magnas opes relinquere vis, Dei providentiam relinquito.... relinquito eis Deum debitorem. (*Ibidem.*)

Fœtorem peccati ſoli juſti ſentiunt.

CDVII. Qui ſe vino obruit, non ſentit quanta ſit vini putrefacti abominatio; qui vero ſobrius eſt, id probe novit. Idem & in peccatis uſuvenit. Qui temperate, qui caſte vivit, huic nota eſt peccatorum execratio, cœnum, macula. Qui vero ſe totum ad malitiam dedit, ne hoc ipſum quidem novit, quadam velut ebrietate oppreſſus, quod ægrotet. (*Hom.* 8. *in cap.* 4.)

Peccata in initio fugienda.

CDVIII. Initio caveamus vel puſilla: nam magna ab his naſcuntur.. ſicut & in corporibus magnæ ægritudines augentur, quoties parvas negligimus. (*Homil.* 12. *in cap.* 7.)

Idem.

CDIX. Sunt certamina ipſis in exordiis leviora: imo ne concertationis quidem indigemus, niſi adverſario valvas aperuerimus, ac vitii ſemina admiſerimus. Propterea Chriſtus eum multavit, qui mulierem impudice fuerat contuitus, ut majore labore nos liberaret; jubens adverſarium ante domo expellendum, quam vires capiat; cum videlicet extrudi facile poteſt.... prius ne labor quidem fuerit, at poſt ipſum aſpectum multus ſudor ac labor. (*Ibidem.*)

Omnia electis cooperantur in bonum.

CDX. *Iis qui diligunt Deum, omnia cooperantur in bonum.* Non ait, quod iis, qui Deum diligunt, nulla accedit res adverſa, ſed quod ea adjumento eſt ad bonum.... quod multo majus eſt

 quam

S.JO.CHRYS. quam si prohiberet, ne adversa accedant: aut ubi accesserint tolleret. (*Homil.* 15. *in cap.* 8.)

Sola Dei gloria quærenda. CDXI. Vanæ gloriæ cupidus.... quam multis est cognitus, tam multos habet dominos, omnibus servire coactus. Quomodo ergo ab hac dura servitute liberabimur? si aliam gloriam adamaverimus, nempe eam, quæ vere est gloria. (*Hom.* 17. *in cap.* 10.)

Contra Avaros. CDXII. Tametsi grave dictu sit quod dicturus sum, plenumque horroris, necesse tamen est ut dicam: numera Dominum cum servis tuis, liberas servos: libera Christum fame, necessitate, carceribus, nuditate. Horres audiendo: atqui isto magis horrendum est quod nec hoc facis. (*Ibidem.*)

Saltem animo pauperibus juvare. CDXIII. Ne despondeas animum propter paupertatem. Cæli quippe opulentiam faciliorem tibi præbet paupertas. Quod si nihil habeas, habeas autem animum condolentem, reponetur tibi merces. (*Hom.* 19.)

Optimum Sacrificii genus. CDXIV. *Quid est rationalis cultus?* spiritalis servitus, conversatio vitæ juxta Christum. Quemadmodum igitur qui in domo Dei servit, castior redditur; ita & nos oportet omnem vitam dispositam habere sicut Dei cultores ac Sacerdotes. Erit autem hoc, si pecunias tuas illi singulis diebus offeras; si proprii corporis Sacerdos fueris, ac virtutis quæ secundum animam est, modestiæ, mansuetudinis, patientiæ. Hæc faciens, rationalem cultum offers; hoc est nihil habentem corporei, nihil crassi, nihil sensibilis. (*Ho.* 20. *in cap.* 12.)

Divitiarum vanitas. CDXV. *Præterit figura hujus mundi....* Etiamsi divitias objeceris, gloriam, delicias, sive aliud quodcumque ex iis quæ magna esse videntur, figura sunt. (*Ibidem.*)

Hilares donatores Deo grati. CDXVI. *Qui miseretur, in hilaritate:* Quis enim regnum accipiens mœstus est? quis peccatorum remissionem recipiens in mœrore manet? noli itaque pecuniarum respicere sumptum, sed magis eum, qui ex illo sumptu est, proventum. Si enim qui seminat, gaudet, tametsi in incertum seminet; multo magis qui cælum quasi agrum colit. Si cum hilaritate etiam modica tantum dederis, multa tamen dedisti: & si cum mœstitia dederis, licet multa dederis, ex multis tamen pauca fecisti. (*Homil.* 21.)

Inimicos diligere. CDXVII. Etiamsi quis te ipsum ense impetiturus esset; ipsam eandem dexteram osculare, quoniam & Christus os illud, quod mortem suam operatum erat, osculatus est. Itaque insidiantem tibi non odio, sed lacrymis, ac misericordia prosequere. (*Ibidem.*)

Pauperes sublevare & solari. CDXVIII. Si non pascentes egenos condemnabuntur, quam putas pœnam dabunt, qui non solum non pascunt, sed conviciantur.... non tantum igitur abstineamus a conviciis, sed & consolemur tam verbis quam factis; ut multa recondita nobis in futurum bona, misericordia nostra apprehendamus (*Ibidem.*)

Gaudium de bono proximi. CDXIX. *Gaudete cum gaudentibus & flete cum flentibus.....* Nemo adeo lapideus est, ut eum qui in calamitatibus est non defleat. Illud vero valde generosam mentem requirit, ut non solum

non

non invideat ei qui clarus est, sed & congaudeat; unde & priore [redacted] loco illud posuit. Nihil enim ita dilectionem conciliat, quam quod & in gaudio & tristitia alterutrum communicamus...., communica ergo plorantibus ut tristitiam illorum alleves: communica gaudentibus, ut & lætitiam illorum radices, & dilectionem consolides; & ante illos te ipsum juves: lacrymando siquidem misericordem facis; congratulando vero, livore te ipsum liberas. (*Homil.* 22.) S.Jo.Chrys.

CDXX. Non putandum est ad apologiam sufficere ignorantiam: erit enim quando & ignorantiæ pœnas dabimus. Nam & Judæi ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur: & Græci ignorarunt, sed excusationem non habent. Quod si ea ignoraveris quæ sciri non possunt, præter culpam erit: si vero quæ scitu & possibilia sunt & facilia, extremas pœnas merito dabis. (*Homil.* 26. *in c.* 14.) **Ignorantia non excusat.**

CDXXI. Priscilla mulier instruxit Apollonem. Non itaque tam disputationem doctrinæ, quæ ad privatum usum pertinet, Apostolus mulieribus interdixit; sed eam quæ fit in publico, quæ ipsis congruit doctoribus. (*Hom.* 31. *in c.* 16.) **Privata instructio mulieribus non vetita.**

Ex Homiliis in primam Epistolam ad Corinthios.

CDXXII. Nullum est periculum, etsi nos omnes aversentur & oderint, modo simus Deo accepti & chari. Nam quæ vere est gratia, & quæ vere est pax, a Deo est. (*in Epist. I. ad Cor. cap.* 1. *Hom.* 1.) **Pax Dei sola vera.**

CDXXIII. Nullius rei pretium est cum anima conferendum. Quamobrem etsi divitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is qui convertit animam. (*Hom.* 3.) **Magnum animæ pretium.**

CDXXIV. Quæ neque pater, neque amicus, neque filius pro te fecit, ea omnia Dominus tuus pro te fecit, servus & qui offenderas. (*Homil.* 4.) **Bonitas J.C. erga nos.**

CDXXV. Volens cæco mederi Christus per rem, quæ cæcitatem augebat, lutum scilicet, cæcitatem abstulit.... ita etiam orbem terræ per crucem adduxit; quod quidem erat additio scandali, non scandali ablatio. (*Ibidem.*) **Potentia J.C.**

CDXXVI. *Non multi potentes, non multi nobiles*; nam ii sunt fastu pleni. Ad perfectam autem & accuratam Dei cognitionem nihil est æque inutile atque arrogantia & affixum esse divitiis. Efficiunt enim ut in admiratione habeant præsentia, & futurorum nullam habeant rationem, ac propter curarum multitudinem aures obstruant. (*Homil.* 5.) **Pauci divites & magnates electi.**

CDXXVII. Passionem quidem sciebat universus orbis terræ, nam in alta trabe fuerat suspensus, & meridie, & in metropoli, & in maximo die festo, in quo maxime non licebat cuiquam abesse. Resurrectionem autem nullus sciebat exterorum; quod quidem non parvum eis erat impedimentum ad persuadendum. Et quod quidem esset **Veritas fidei christianæ.**

esset sepultus, omnes passim dicebant, quodque corpus ejus suffurati essent discipuli, dicebant milites cum omnibus Judæis. Undenam ergo expectabant fore, ut persuaderent toti orbi terrarum? si enim cum fierint miracula, persuasi fuerunt milites ut contraria testarentur, undenam isti expectassent prædicare absque miraculis, & qui ne obolum quidem habebant, persuadere terræ & mari de resurrectione? si autem hoc fecissent gloriam appetentes, multo magis unusquisque sibi dogma attribuisset, non ei qui excesserat. At non credidissent eis homines. Et de quonam magis credidissent, de illo ne qui fuerat comprehensus & in crucem actus; an de ipsis qui manus Judaicas effugiebant? quomodo persuadebant Apostoli, si non signa faciebant? nam si faciebant quidem, faciebant autem, divina virtus erat id quod fiebat. Si autem non faciebant & vincebant, longe admirabilius erat quod accidit. (*Ibidem*.) — *S. Jo. Chrys.*

Mysteria fidei inexplicabilia. CDXXVIII. Non est mysterium divinum & integrum, quando a te ipso aliquid addideris. Vocatur mysterium divinum & integrum, quando non quæ videmus credimus, sed alia videmus, alia credimus.... Non enim visu judico ea quæ apparent, sed mentis oculis. Audio corpus Christi, aliter ego intelligo quod dictum est, aliter infidelis. (*Hom. 7. in cap. 27.*)

Nulla res nos a Deo separet. CDXXIX. Palmes ex eo quod sit continens, attrahit pinguedinem; & ædificium stat eo quod sit agglutinatum: quod si disjunctum sit, perit, ut quod non habeat cui innitatur. Non solum ergo Christo adhæreamus, sed ei etiam agglutinemur. Nam si disjuncti fuerimus, perimus. *Qui enim se elongant a te, peribunt.* Ei ergo agglutinemur & per facta & per opera: *nam qui servat*, inquit, *mandata mea, ipse in me manet*.... Ipse est caput, nos autem corpus. Ipse est fundamentum, nos ædificium. Ipse vitis, nos palmites, ipse sponsus, nos sponsa. Ipse pastor, nos oves. Ille via, nos viatores, nos rursus templum sumus; ipse est qui inhabitat. Ipse est primogenitus, nos fratres. Ipse est hæres, nos cohæredes. Ipse est vita, nos autem viventes. Ipse est lux, nos qui illuminamur. Hæc omnia indicant unitatem, nec sinunt aliquid vacuum esse intermedium, ne minimum quidem. Nam qui parum abscesserit, multum etiam procedens abscedet. Corpus enim si ab ense accipit disjunctionem, interibit: & ædificium si vel parum dehiscat, dissolvetur, & palmes si radice parum fuerit abscissus, fit inutilis. Quamobrem hoc parum non est parum, imo fere est totum.... cito enim neglectum, fit magnum.... Si paucæ tegulæ deciderint, & tectum fuerit neglectum, tota ruit domus. Nos ergo parva nunquam despiciamus, ne in magna incidamus. (*Homil. 8. in cap. 3.*)

Sola peccata deflenda. CDXXX. Lugent homines pro detrimento pecuniæ, pro mortuis. Animam autem quotidie perdentes, de eo ne cogitamus quidem. Quomodo ergo poteris Deum placare, cum ne quidem te peccasse noris? certe, inquit, peccavi. Certe lingua quidem dicis. Dic mihi mente, & cum verbo ingemisce. (*Ibidem*.)

CDXXXI.

S. Jo. Chrys.

Mala etiam necessaria ad salutem utilia.

CDXXXI. Propter hoc ipsum admiror Dei benignitatem, quod quæ potest a te vel invito accipere, ea non vult te invito inferri, ut scilicet mercedem habeas. Utpote potest animam te invito accipere, sed vult te volente, ut dicas cum Paulo; *quotidie morior*. Potest gloriam tuam te invito auferre, & te reddere humilem & abjectum; sed vult a te volente ut habeas remunerationem. Potest te etiam nolentem facere pauperem; sed vult te tua sponte fieri talem, ut tibi contexat coronas. (*Homil. 9.*)

Parati simus semper ad reddendam Deo rationem.

CDXXXII. Duplici ratione Christi sumus, & ratione creationis, & ratione fidei. Propterea dicit David: *substantia mea apud te est*. Et Paulus de verbo fidei tractans: *Non estis vestri, sed empti estis pretio*; omnia enim sunt Dei: quando ergo vocaverit & voluerit accipere, ne sicut ingrati servi vitemus reddere rationem, neque ea quæ sunt Domini nobis attribuamus (*Ibidem.*)

Bona divitum pauperibus communia.

CDXXXIII. Quoniam non nostra sunt quæ habemus, sed Domini, oportebat ea consumere in conservos. Accusatus fuit ille dives, quod hoc non fecisset, & qui non nutrierunt Dominum. Ne dicas ergo: ego de meis consumo, meis fruor, non ex tuis, sed alienis. Alienis dico, quoniam tu vis. Nam Deus vult esse tua, quæ pro fratribus sunt tibi tradita. Fiunt autem tua quæ sunt aliena, si in alienos insumpseris. Sin autem in te ipsum profuse insumpseris, quæ tua sunt, fiunt aliena.... tua enim sunt etiam conservorum communia, sicut sol est communis, & aer & terra. Quemadmodum in corpore est & totius corporis & uniuscujusque membri ministerium. (*Ibidem.*)

Contra pravas consuetudines.

CDXXXIV. Ea res, inquis, est usurpata consuetudine. Propterea est maxime lugendum, quod rem consuetudine concluserit diabolus. (*Hom. 12.*)

Infantes Cruce muniendi.

CDXXXV. Quid agis cum tuis amuletis, & aliis magna repletis stultitia? cum infanti nihil aliud sit adhibendum, quam crux ad custodiam. (*Ibidem.*)

Avaro nunquam satis.

CDXXXVI. Nihil est quod rationem supplicii æque habeat, atque cupiditas quæ non habet quo fruatur.... qui enim pecunias concupiscit & permultas acquisivit, is est affectus perinde ac si nihil habeat.... & cum habeat non videtur ea habere quæ tenet; & cruciatur tanquam non habeat; & si omnium bona acceperit, magis angitur. (*Hom. 14. in c. 5.*)

Injuste detenta restituenda.

CDXXXVII. Qui successit hæreditati plenæ iniquitate, etiam si ipse non rapuit, habet tamen ea quæ sunt aliorum.... Alius spoliavit, sed tu possides. Ille rapuit, sed tu frueris. Hæc autem sciunt etiam leges externorum, quæ iis dimissis qui abstulerunt, ab illis jubent petere, apud quos tua esse inveneris. Si ergo quidem eos noris, quibus facta est injuria, eis redde; & fac quod fecit Zachæus cum multa accessione. Si autem ignoras, aliam do quoque tibi viam, nec te excludo a remedio. Nempe ut egentibus hæc omnia distribuas; & sic malum curabis. (*Ibidem.*)

Bonum pro malo reddendum.

CDXXXVIII. Si qui remittunt his qui peccaverunt, assequuntur

tur

S.JO.CHRYS. tur remissionem; ii qui non solum remittunt, sed etiam abunde iis largiuntur, quam non assequentur defensionem? ne ergo pusillo & abjecto animo feras, sed etiam preceris pro eo qui fecit injuriam. Nam pro te ipso hoc facis. (*Hom.* 16. *in cap.* 6.)

Magistris obedientia. CDXXXIX. Sunt servorum termini a Deo constituti, nec eos licet transgredi. Quando enim Dominus nihil imperat eorum quæ Deo non placent, sequi oportet & parere; ultra autem nequaquam: sic enim servus fit liber. Sin autem ulterius procedas, etiamsi sis liber, servus efficeris. Hoc quidem tacite significat, dicens: *Nolite fieri servi hominum*. (*Hom.* 19. *in cap.* 7.)

Servitutis utilitas. CDXL. Servis homini? sed Dominus quoque tibi servit, alimentum tibi procurans, curam gerens tuæ sanitatis & indumentorum, & de aliis omnibus tibi sollicitus; & tu non adeo metuis ne Dominum offendas, ut ille metuit ne aliquid necessarium tibi deficiat. At ille accumbit, tu vero stas? sed & ille sæpe te cubante & dormiente suaviter, ille non solum stat, sed & violentiam sustinet innumerabilem, & te vigilat molestius. (*Ibidem*.)

Contra gulam. CDXLI. Tu ventri indulgens, & ad profundam usque vesperam compotationem extendens, non censes te daturum pœnas, adeo prave & inique utens Dei donis. (*Homil.* 21. *in c.* 9.)

Eleemosyna divitibus utilis. CDXLII. Non tam propter pauperes de eleemosyna legem tulit Deus, quam propter eos qui præbent. (*Ibidem*.)

Sine gratia dæmoni non resistitur. CDXLIII. *Fidelis Deus, qui non patietur tentari vos supra id quod potestis*. Sunt ergo tentationes quæ ferri non possunt. Et quæ sunt hæ? omnes. Posse enim situm est in Dei auxilio, si per nostrum animum illud attraxerimus.... Ne illas quidem moderatas ac mediocres, propria virtute feremus.... Ipse enim & dat tolerantiam, & citam affert liberationem, adeo ut hac ratione fit tentatio tolerabilis. Hoc enim tacite significavit Paulus dicens, *faciet etiam exitum ut possitis ferre*, & omnia ei tribuit. (*Homil.* 24.)

Eucharistiæ ineffabilia bona. CDXLIV. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* quid dicis o beate Paule? volens auditori pudorem suffundere, & reverendorum faciens mentionem mysteriorum, benedictionis Calicem vocas, illum terribilem & maxime formidandum Calicem? certe, inquit. Nam quando dico benedictionem, explico omnem thesaurum Dei beneficentiæ, & magna dona illa in memoriam revoco. Nam nos quoque ad Calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, & quæcumque sumus adepti, ita ipsum offerimus & communicamus, gratias agentes quod ab errore liberavit hominum genus; quod cum longe essemus, prope fecerit; quod cum spem non haberemus & sine Deo essemus, suos fratres effecerit & cohæredes. Pro his ergo & quæcumque sunt hujusmodi gratias agentes, ita accedimus. (*Ibidem*.)

Eucharistia unio fidelium. CDXLV. Quoniam dixerat Paulus, *communicatio corporis*; id autem quod communicat, est alterum ab eo cui communicat, hanc quoque parvam quæ apparebat differentiam sustulit.... Nam subjun-

junxit; *quoniam unus panis & unum corpus multi sumus*. Quid enim dico communicationem? sumus illud ipsum Corpus. Quid enim est panis? Corpus Christi: quid autem fiunt qui sumunt? Corpus Christi? non corpora multa, sed unum corpus. Quomodo enim panis ex multis granis compositus est unitus, ut nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit eorum differentia propter conjunctionem, ita etiam inter nos a Christo conjungimur. Non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem ille nutritur, sed ex eodem omnes. Et ideo subjunxit; *omnes enim ex eodem pane participamus*. Si autem ex eodem & idem efficimur omnes, cur non etiam eandem ostendimus charitatem, & ea ratione unum quoque efficimur? nam olim quoque nostrorum majorum tempore hoc erat; *multitudinis enim credentium erat cor unum & anima una*. Sed non nunc, imo vero totum contrarium. Multa & varia sunt inter omnes bella, & feris sævius affecti sumus alter in alterius membra. (*Ibidem*.) S. Jo. Chrys.

CDXLVI. Jubet illud terribile & formidandum sacrificium, ut cum concordia maxime ad ipsum accedamus & ardenti charitate, & inde effecti aquilæ ad ipsum cælum evolemus. *Ubi enim cadaver, illic & aquilæ*: cadaver Corpus vocans propter mortem; nisi enim ille occidisset, nos non surrexissemus. *Aquilas* autem vocat, ostendens quod oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi & serpere, sed assidue volare, & ad Solem justitiæ aspicere, acutosque & perspicaces habere mentis oculos: aquilarum enim, non graculorum hæc est mensa. Ipsi tunc quoque ei occurrent e cælis descendenti, qui nunc digne percipiunt; sicut qui indigne, extrema patientur. (*Ibidem*.) Quomodo ad communione accedendum.

CDXLVII. *Job*, servorum suorum amorem in ipsum indicans dicebat quod sæpe illi ipsum valde amantes dicebant: *quis dederit nobis impleri ejus carnibus?* sic etiam Christus nobis dedit, ut impleremur ejus carnibus, ad majorem nos attrahens amicitiam. (*Ibidem*.) Amor fervens communicantis.

CDXLVIII. Accedamus ad Christum cum fervore & ardente charitate, & ne subeamus supplicium. Nam quo fuerimus majoribus affecti beneficiis, eo magis puniemur, quando visi fuerimus indigni beneficio. Hoc corpus etiam jacens in præsepi reveriti sunt magi.... Imitemur ergo vel barbaros, nos cælorum cives. Nam & illi quidem cum & in tugurio vidissent, neque tale quidquam vidissent quale tu nunc, cum magna accesserunt reverentia. Tu non in præsepi vides, sed in altari; non feminam eum tenentem, sed Sacerdotem adstantem, & spiritum cum magna copia ea quæ sunt proposita supervolantem. Non solum hoc ipsum corpus vides sicut illi, sed nosti ejus virtutem & dispensationem, & nihil ignoras ex iis quæ ab ipso perfecta sunt.... Nos ergo ipsos excitemus & formidemus, & longe majorem quam illi barbari ostendamus reverentiam, ne si temere accesserimus, in nostrum caput ignem Idem.

conge-

[redacted] congeramus. Hoc autem dico non ut non accedamus, sed ne temere & inconsiderate accedamus. Nam sicut temere & citra discrimen accedere est periculum, ita mysticæ illius cœnæ non esse participes, est fames & mors. Hæc enim mensa est nervus nostræ salutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita. (*Ibidem.*)

S. Jo. CHRYS.

Traditiones non scriptæ.

CDXLIX. *Sicut tradidi vobis, traditiones ita tenetis:* ergo & sine scripto multa tunc illis tradebat, quod etiam multis aliis in locis indicat. (*Homil. 26. in cap. 11.*)

Obedientia gloriosa.

CDL. Virtus ejus cui alius imperat & honor, est manere in obedientia. (*Ibidem.*)

Mutua conjugum obligatio.

CDLI. Ne viri virtutem expectet mulier, ut suam exhibeat; hoc enim nihil est magnum: neque rursus vir mulieris honestatem & modestiam, ut tunc philosophetur.... Sed unusquisque sua prior exhibeat. Nam si externis dexteram percutientibus alteram præbere maxillam; multo magis ferocientem maritum ferre oportet. (*Ibidem.*)

Mulier non verberanda.

CDLII. Absit ut verberetur mulier, hoc est enim extrema contumelia, non ei quæ verberatur, sed ei qui verberat.... Si enim ancillam verberare est probrum, multo magis in liberam manus intendere. Hoc autem etiam ex externis videris legislatoribus, qui eam, quæ talia est passa, non amplius cogunt habitare cum eo qui verberavit.... est enim extremæ iniquitatis vitæ sociam & quæ in rebus necessariis & summe est tibi conjuncta, eam tanquam mancipium afficere ignominia. Quamobrem ejusmodi virum, si vir est appellandus & non bestia, instar parricidæ & matricidæ ego dixerim. Nam si propter eam & patrem & matrem jussi sumus dimittere, non illis injuriam facientes, sed divinam legem implentes.... Quomodo non est extremæ insaniæ eam contumelia afficere, propter quam etiam parentes Deus jussit dimittere? (*Ibidem.*)

Uxoris imbecillitas toleranda.

CDLIII. Cogita mulierem esse vas imbecillum, te autem virum. Propterea enim factus es rector & princeps, & datus es instar capitis, ut feras ejus quæ a te regitur imbecillitatem. (*Ibidem.*)

Missæ excellentia. Veneratio exhibenda.

CDLIV. *Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis, &c.* Quomodo dicit se accepisse a Domino, neque enim tunc erat? ut discas quod illa mensa nihil plus habet quam quæ fuit postea. Nam hodie quoque ipse est qui omnia operatur & tradit, sicut & tunc. Non solum autem propterea noctem illam revocat in mentem, sed etiam ut aliter nos compungat. Quomodo enim illorum verborum maxime meminerimus, quæ audivimus ultima ab iis qui excedunt, & illorum hæredibus, si mandata transgredi ausi fuerint, eis pudorem incutientes, dicimus, cogitate quod postremam hanc vocem apud vos emisit pater, & ad vesperam usque qua erat expiraturus hæc mandavit. Ita etiam hic quoque Paulus volens terribilem reddere orationem, recordamini, inquit, quod hanc vobis dedit postre-

ſtremam myſterii inſtitutionem; & in ipſa nocte qua pro nobis erat occidendus, hæc mandavit, & tradens nobis illam cœnam nihil poſtea addidit. (*Homil.* 27. *in cap.* 11.) S.Jo.Chrys.

CDLV. Cogita quid fecerunt Apoſtoli quando ſacræ menſæ fuerunt participes.... converſi ſunt ad preces & Hymnos canendos, ad ſacras vigilias, & ad ſacram illam doctrinam.... nonne audiviſti quomodo etiam illa tria millia quæ perceperant communionem, perpetuo perſeverabant in oratione & doctrina, & non in comeſſationibus? (*Ibid.*) Temperantia ante Communionem.

CDLVI. Quicumque ſis ergo, ne hæc fiant manum tuam expurga, caſtiga linguam & labra quæ ingreſſui Chriſti fuere veſtibula: appoſita menſa ſenſili ad menſam illam mentem extende ad cœnam dominicam, ad vigiliam diſcipulorum quæ fuit ſacra illa nocte. Imo vero ſi exacte & accurate examinaveris, etiam hæc præſentia ſunt nox. Vigilemus ergo cum Domino, compungamur cum diſcipulis: precationis tempus eſt, non ebrietatis; ſemper quidem, maxime autem in die feſto. Propterea enim eſt dies feſtus, non ut nos indecore geramus, non ut peccata congregemus, ſed ut quæ ſunt tollamus. (*Ibidem.*) Idem.

CDLVII. Non ſpectamus ut ad Euchariſtiam accedamus parati, & malis noſtris expiatis & pleni compunctione; ſed ut in diebus feſtis, & quando omnes accedunt. Sed non ſic juſſit Paulus; ſed unum novit tempus aditus & communionis, puritatem conſcientiæ. Si enim menſæ ſenſilis non fuerimus participes febricitantes, & malis pleni humoribus, ne pereamus; multo magis nefas eſt hanc tangere cum malis cupiditatibus, quæ ſunt graviores febribus. (*Homil.* 28.) Quando communicandum.

CDLVIII. *Spiritus dividit ſingulis prout vult*: Ne ergo angamur dicentes; cur hoc accepi, & non illud accepi? neque ad reddendam rationem vocemus Spiritum Sanctum. Nam ſi ſcis quod largitus ſit ob curam quam tui gerit, cogita quod ob eandem curam menſuram quoque dederit. (*Homil.* 29.) Donis datis ſimus contenti.

CDLIX. Homines ea quæ nihil refert ſcire & quæ, ut ita dicam, ſunt indifferentia, multum ſua referre exiſtimant; eorum autem quæ refert, nullam ſubducunt rationem. Nam quod noſtra refert & ad nos pertinet eſt virtus & philoſophia. Quoniam ergo ab eo longo intervallo abeſtis, propterea eſt perturbatio cogitationum, propterea multi agitantur fluctus, propterea eſt tempeſtas. Nam cum a ſuperna gloria exciderint, & ab amore cælorum, præſentem appetunt gloriam, fiuntque ſervi & captivi. Et unde fit quod hanc appetimus? & hoc quod illam non valde concupiſcimus. Hoc ipſum undenam accedit? ex ſocordia ac negligentia. Ea autem unde? ex contemptu. Contemptus autem unde? ex amentia, & quod præſentibus affixi ſimus, quodque rerum naturam nolimus accurate examinare. Hoc ipſum autem rurſus unde evenit? ex eo quod neque ſcripturarum attendamus lectioni, neque cum viris verſemur ſanctis, & ſequamur malorum conventus. (*Ibid.*) Contra ignorantiam & inſenſibilitatem in rebus divinis.

CDLX.

S. JO. CHRYS. Contra invidiam. CDLX. Nihil æque dividit & disjungit atque invidia. Gravis hic morbus & omni venia privatus, & malorum radice est in aliquo gravior. Nam avarus tunc lætatur quando ipse accipit; invidus autem tunc lætatur non quando ipse accipit, sed cum alius non accipit. Suum enim beneficium esse existimat aliorum res adversas, non faustum rerum suarum successum; communis quidam naturæ humanæ hostis, & Christi membra verberans. Quo quid fieri potest insanius? dæmon invidet, sed hominibus, nulli autem cum sis homo, invides hominibus. (*Ibidem.*)

Omnia bona in charitate. CDLXI. Aliæ quidem partes virtutis laborem habent conjunctum; ut jejunium, temperantia, vigiliæ.... charitas autem cum lucro & multam habet voluptatem & nullum laborem; & sicut bona apis, quæ ubique sunt bona colligens, ea deponit in anima ejus qui diligit; & si quis serviat, libertate jucundiorem reddit servitutem. Nam qui diligit, non tam lætatur si imperet, quam si tibi imperetur, etiamsi imperare sit jucundum; sed ipsa transmutat rerum naturam, & accedit omnia bona habens in manibus: quavis matre mitior, quavis regina locupletior, & quæ sunt laboriosa levia facit & facilia, virtutem quidem facilem, acerbissimum autem nobis reddens vitium.... & ipse dolor affert voluptatem: charitatis enim lacrymæ & tristitia sunt quovis risu & gaudio jucundiores. (*Hom. 32. in cap. 13.*)

Contra Christianorum teporem. CDLXII. Ecclesia nunc est similis mulieri quæ a veteri prosperitate excidit, & multis in locis sola tenet symbola antiquæ illius felicitatis, & monilium quidem solas ostendit techas, divitiis autem est privata. Ei nunc est similis Ecclesia. Neque hoc solum dico propter dona, non enim esset grave si hoc solum esset, sed etiam propter vitam & virtutem. (*Hom. 36. in c. 14.*)

Contra irreverentes in Templo. CDLXIII. Olim domus erant Ecclesia; nunc autem etiam Ecclesia est domus, vel potius quavis deterior. Nam in domo quidem bene constitutum videris ordinem.... Hic autem multus est tumultus, magna confusio..... risus sicut in foro. (*Ibidem.*)

Idem. CDLXIV. Ecclesia enim non est locus colloquii, sed doctrinæ: Nunc autem nihil differt a foro; & si non sit dictu audacius, forte nec a prostibulo; adeo impudicis ipsis lascivius & impudicius ornantur quæ hic congregantur, quamobrem multos quoque impudicos huc attrahunt.... quapropter nemo vestrum aliquid lucratus recedit, sed majori etiam damno affectus. (*Ibidem.*)

Miri fidelium stoliditas. CDLXV. Nescitis coram quo sistemur tribunali? an non cogitatis quod & verborum & cogitationum a nobis exigetur ratio? & ne res quidem curamus (*Ibid. Hom. 42.*)

Dæmonis insidiæ. CDLXVI. Non est ejus qui parva gessit, aut prava diabolum irritare. Quamobrem quando videris virum justum magna ac præclara gerere & mala pati innumerabilia, ne mireris: nam mirari oporteret, si diabolus multas accipiens plagas quiesceret; neque enim si serpens punctus continuo efferatur, & pungendo insultet, mirari oportet. (*Hom. 43. in c. 16.*)

Ex

Ex Homiliis in secundam Epistolam ad Corinthios.

CDLXVII. Deinceps hoc petit; *in ipsius lege die ac nocte morari*. Quam excusationem nancisci queant qui cum die ac nocte in Dei lege, non dicam versari, sed morari, hoc est animi delicias in eo positas habere jubeantur, tamen ne minimam quidem vitæ partem in hoc impendunt, ut ipsius mandata memoria usurpent, atque ipsius justificationes custodiant? (*in Ep.* 2. *ad Cor. cap.* 1. *Hom.* 2.) Divinæ legis meditatio.

CDLXVIII. Cum diabolus mentem divinitus afflatam & sobriam cogitationem non invenit, tum demum in vacuam atque inanem animam impetum facit; cum Dei mandata non recordatur, nec ipsius justificationes custodit, tum demum eam captivam secum abduxit. (*Ibidem*.) Cor vacuum dæmon tenet.

CDLXIX. Afflictio & fastum amputat, & segnitiem omnem exscindit; atque ad patientiam instruit ac velut injungit; rerum humanarum vilitatem detegit, atque ingentem philosophiam inducit. (*Hom.* 26. *in cap.* 12.) Tribulationum utilitas.

Ex Homiliis in Epistolam ad Ephesios.

CDLXX. Qui maxime jurejurando assidue utitur, is juramenti ipsum nequaquam habeat necessarium. Qui autem minime utitur, is ejus usu fruitur. Juramento, inquis, opus est ut credatur. Videmus autem quod qui non jurant, iis maxime creditur. (*In Ep. ad Ephes. c.* 1. *Hom.* 2.) Jurenti minus creditur.

Ex Homiliis in Epistolam ad Philippenses.

CDLXXI. Res enim stultitiæ plenissima est, justitiam operari aliam ob causam quam propter Christum & per ipsum. Ita interdum est, cum opus bonum non ex bono proposito fit; nec modo nulla illi merces est proposita, sed supplicium manet. (*Hom.* 2. *in cap.* 1.) Solum pro Christo & propter Christum operandum.

CDLXXII. Prima ingratitudo superbia est, aufert enim beneficentiæ donum: qui enim sese effert, is quasi ipse id quod recte factum est confecerit, se effert. (*Homil.* 5.) Superbia radix ingratitudinis.

S. JO. CHRYS.

Ex Homiliis in Epistolam primam ad Thessalonicenses.

Charitas universalis sit. CDLXXIII. Vides quod vult extendi charitatem, non inter nos solum, sed ubique. Nam hoc plane est charitatis quæ est secundum Deum, omnes complecti. Si autem hunc quidem diligis, illum vero minime, est amicitia secundum hominem: sed nostra non est hujusmodi. (*Hom.* 4.)

Ex Homiliis in secundam Epistolam ad Thessalonicenses.

Charitas operibus manifestanda. CDLXXIV. Ne mihi enim dixeris; diligo ipsum etiam plusquam me ipsum. Hæc sunt verba; ostende factis. Si ipsum diligis plusquam te ipsum, dilige plusquam pecuniam: & tunc te credo ipsum diligere plusquam te ipsum. (*Hom.* 5. *in cap.* 3.)

Ex Homiliis in primam Epistolam ad Timotheum.

Sedula liberorum cura. CDLXXV. Magnum habemus pretiosumque depositum filios, ingenti illos servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. (*Hom.* 9.)

Ex Homiliis in secundam Epistolam ad Timotheum.

Prelatorum pericula. CDLXXVI. Quantalibet enim quisque animi virtute polleat, cum tamen clavum & gubernacula Ecclesiæ suscipit, imperatis fluctibus quatitur, & variis undique negotiis actus, pene submergitur. (*In Ep.* 2. *ad Timot. Hom.* 1. *c.* 1.)

Sanctorum imitatio. CDLXXVII. Majorum quippe merita, cum eorum studuerimus esse participes, nostra etiam sunt: sin vero ab illis aberraverimus, non modo nihil ornamenti, sed dedecoris ad damnationis plurimum ex illis acquirimus. (*Ibidem.*)

Dilectio proximis utilis. CDLXXVIII. Qui seipsum amat, ille imprimis est qui se non amasse convincitur. Qui vero diligit fratrem, hic maxime seipsum amat. (*Hom.* 7. *in cap.* 3.)

Ex

Ex Homiliis super Epistolam ad Titum.

CDLXXIX. Ea virtus præconis est, veraciter quæ sibi credita sunt omnia prosequi, non aliquid addere, aut immutare, aut auferre: Si igitur prædicare oportet, magna id fiducia atque constantia faciendum est; alioqui nulla erit prædicationis virtus. (*In Ep. ad Tit. Hom.* 1. *in c.* 1.) Veritas fideliter prædicanda.

Ex Homiliis in Epistolam ad Hebræos.

CDLXXX. Ne tristes simus, cum viderimus peccatores hic bonis affici: sed quando nos ipsi male patimur, lætemur: ea enim res est peccatorum exsolutio. Ne quæramus remissionem. Christus enim afflictionem promisit suis discipulis (*In Ep. ad Hebr. Homil.* 5.) Mala lætanter toleranda.

CDLXXXI. Si ex multis pauca dederint, totum se existimant fecisse. Non est hoc eleemosyna: eleemosyna est illius viduæ eleemosyna, quæ universas suas profudit facultates. Si autem in te non cadit ut tantum eroges quantum illa vidua, eroga saltem quidquid est supervacaneum. Habe quæ sufficiunt, non quæ supersunt. Sed nemo est qui eroget ne ea quidem quæ supersunt, & sunt supervacanea. Nam quandiu habes multos famulos, & vestes sericas, hæc omnia sunt supervacanea. Nihil est necessarium nec usui serviens. Sine quibus vivere possumus, ea sunt supervacanea, &, ut semel dicam, extra sunt posita. (*Hom.* 28.) Mensura eleemosynæ.

CDLXXXII. Vestis mollis etiam fortem dissolvit & frangit animum ac diffundit: & licet corpus acceperit asperum & durum, id molle reddit & imbecillum. Nam unde nisi ex hoc putatis mulieres esse adeo molles? dic quæso? non ex solo sexu? nunquam: sed ex vivendi ratione & educatione. (*Hom.* 29.) Luxus damnat.

CDLXXXIII. Si non habeam unde faciam eleemosynam: sed habes poculum aquæ frigidæ, quantumcumque sis pauper. Sed pedes ut visites ægrotos, ut ingrediaris carcerem; sed tectum habes ut excipias hospites. Non est, non est venia eorum qui non faciunt eleemosynam, nec utuntur misericordia. (*Homil.* 31.) Modi danda eleemosynæ.

CAPUT XVI.

SELECTA AXIOMATA

S. GREGORII MAGNI

Papæ, & Ecclesiæ Doctoris (a).

Ex Moralibus, sive explicat. in Job.

S. Greg. M.

Sacra Scriptura utilis doctis & indoctis.

I. DIVINUS sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat, servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quippe fluvius (ut ita dixerim) planus & altus, in quo & agnus ambulet & elephans natet. (*In Expos. Lib. Job. cap.* 4.)

Prudentia & simplicitas jungendæ.

II. Hinc per semetipsam Veritas discipulis præcipit dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Utraque enim necessario in admonitione conjunxit, ut & simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, & rursum serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. (*Lib.* 1. *Mor. Expos. c.* 2.)

Convivia periculosa.

III. Vir quippe sanctus noverat, quia celebrari convivia sine culpa vix possent, opus erat magna purgatione sacrificiorum. Nonnulla quippe sunt vitia quæ a conviviis aut separari vix possunt, aut certe nequaquam possunt. Pene enim semper epulas comitatur voluptas: nam cum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Unde scriptum est: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Pene semper epulas loquacitas sequitur. Cumque venter reficitur, lingua defrænatur. (*Cap.* 4.)

Virtus quomodo in vitium deflectat.

IV. Atque *holocaustum per singulos filios offerimus*, cum pro unaquaque virtute Domino hostiam nostræ precis immolamus, ne sapientia elevet: ne intellectus dum subtiliter currit, aberret, ne consilium dum se multiplicat, confundat: ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet: ne scientia dum novit & non diligit, inflet: ne pietas dum se extra rectitudinem inclinat, intorqueat: ne timor dum plus justo trepidat, in desperationis foveam mergat. (*Cap.* 18.)

Bona opera bene facienda.

V. *Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus*

(*a*) S. Gregorius merito Magnus dictus, fuit Gordiani Senatoris filius, Monachi vitam professus est. Mox Diaconus Cardinalis creatus, Constantinopolim Legatus missus est. Pontifex eligitur anno 590. obiit anno 604. ætatis suæ circiter 67.

bus suis. Filii in cordibus maledicunt, cum recta nostra opera a [redacted] non rectis cogitationibus prodeunt, cum bona in aperto exerunt, sed in occulto noxia moliuntur. Deo quippe maledicunt, cum mentes nostræ de se æstimant habere quod sunt. Deo maledicunt cum se & ab illo accepisse vires intelligunt; sed tamen de ejus muneribus propriam laudem quærunt. (*Cap.* 19.)

S. Greg. M.

VI. *Facti sunt hostes ejus in capite:* ac si aperte diceretur: cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur: eam plenius possident, quanto & per initium dominantes tenent. Cum vero intentionem vitiare non prævalent, in via positos laqueos tegunt, ut in eo quod bene agitur, cor exaltans se ex latere ad vitium derivetur: quatenus quod inchoans aliter proposuerat, in actione longe aliter quam cœperat, percurrat. (*Ibid.*)

Intentio in opere vel prodest, vel nocet.

VII. Quia ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem. Exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens: extra circumdans, interius penetrans: nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior: sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Unde superius præsidens, inde inferius sustinens, & unde exterius ambiens, inde interius replens, sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior & superior sine loco: est amplior sine latitudine: est subtilior sine extenuatione. (*Lib.* 2. *Mor. in Expos. Job. cap.* 8.)

Divina immensitas.

VIII. Sed tamen ad animam feriendo non pervenit: quia cunctis cogitationibus interior, inter ipsa vulnera delectationum quæ suscipit, arcani propositi intentio resistit, ut quamvis delectatio mentem mordeat, deliberationem tamen sanctæ rectitudinis, usque ad consensus mollitiem non inflectat. Debemus tamen per asperitatem pœnitentiæ ipsa delectationum vulnera tergere, & censura districtionis rigidæ, si quid fluxum emanat in cogitatione, mundare. (*Cap.* 16.)

Malæ cogitationes pœnitentia expianda.

IX. *Ego sum lux mundi*. Sicut autem idem redemptor noster una persona est cum congregatione bonorum, ipse namque caput est corporis, & nos hujus capitis corpus; ita antiquus hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum, quia, ipse eis ad iniquitatem quasi caput præeminet, illi autem dum ad persuasa deserviunt, velut subjunctum capiti corpus inhærent. (*Lib.* 4. *cap.* 14.)

Boni unum cum Christo, mali unum cum Dæmone.

X. *Antequam comedam suspiro*. Comedere namque est animæ, supernæ lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat, qui prius gemitibus tribulationis afficitur: & postmodum contemplationis refectione satiatur. Nisi enim suspiret, non come-

Manuductio ad contemplationem.

dit: quia qui se in hoc exilio per desideriorum cælestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat: a veritatis enim pabulo jejuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. (*cap.* 7.)

S. GREG. M.

Veritas humiliter dicenda. XI. *Obsecro vos fratres ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* Hinc ergo colligat si quando aliquid recte sentit, quanta humilitate debeat magistro loqui discipulus: si ipse magister gentium in his quæ cum authoritate prædicat, tam submisse discipulos rogat. (*Cap.* 10.)

Mors Justorum. XII. Justis initium retributionis est ipsa plerumque in obitu securitas mentis. (*Cap.* 16.)

Quinam Filii Dei. XIII. Debet tamen a metu & dolore animus excuti, & ad sola æternæ patriæ desideria extendi. Tunc enim nobilitatem nostræ regenerationis ostendimus, si eum ut Patrem diligimus, quem nunc servili mente ut Dominum formidamus.... pondus itaque formidinis mens electi postponat, in virtute se amoris exerceat, renovationis suæ dignitatem desideret, ad conditoris sui speciem anhelet: quem quousque conspicere non valet, æternitatem ejus necesse est, id est, intimum cibum suum esuriens expectet. (*Lib.* 7. *Mor. cap.* 6.)

Deus ferit ut sanet: Dæmon ut perdat. XIV. Sciendum est quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conterit Deus. Ex contritione autem adversarii, a virtute deficimus; per contritionem vero Domini fracti, a vitiis in virtute roboramur.... *qui cœpit, ipse me conterat*. Ac si aperte diceret. Hoc quod in me exorsus est, perficere feriendo non desinat, ne desertum me adversarius ad contritionem tradat. (*Ibid.*)

Concupiscentiæ tyrannica rebellio. XV. Quietus homo possidere carnem potuit, si bene ab authore conditus, possidere voluisset. Cumque se erigere contra conditorem studuit, in semetipso protinus carnis contumelias invenit: sed quia cum culpa simul ab origine etiam pœna propagatur, inserto infirmitatis vitio nascimur, & quasi nobiscum hostem deducimus quem cum labore superamus. Ipsa ergo hominis vita tentatio est, cui ex semetipsa nascitur unde perimatur. Quæ & si semper ex virtute succidit, quod ex infirmitate generat, semper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute succidat. Sic itaque humana vita tentatio est: ut etsi jam ab iniquitatis perpetratione compescitur, in ipsis tamen bonis operibus modo malorum memoria, modo seductionis caligine, modo intentionis suæ interruptione fuscatur. (*Lib.* 8. *Mor. c.* 3.)

Prædicator non movet nisi ipse sit motus. XVI. Mens concupiscentiis exterioribus occupata igne divini amoris non calet, & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. Neque enim res quæ in seipsa non arserit, aliud accendit. (*C.* 26.)

Bona opera celanda. XVII. Tunc solum namque innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per defectum mentis veraciter laus impensa calcatur. Quam quia infirmi quique perfecte contemnendo non superant, restat necesse est, ut bonum hoc quod operantur, abscondant,

Sæpe

Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio, propriam laudem quærunt, sæpe vero in ostensione operis, authoris patefacere gloriam cupiunt, sed excepti favoribus, in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur: cumque semetipsos dijudicare interius negligunt, sparsi exterius, ignorant quod agunt, eorumque opus suæ elationi militat, atque hoc se impendere obsequio largitoris putant. (*Cap.* 30.) S. Greg. M.

XVIII. Sciendum est quod viri sancti ita incerti sunt, ut confidant; atque ita confidunt, ut tamen ex securitate non torpeant. (*Cap.* 18.) Spes & timor.

XIX. Sæpe animus fallitur, ut quod voluptuose appetit, necessarium suspicetur, quatenus omne quodlibet vitæ debitam utilitatem putet. Et sæpe quia effectus providentiam sequitur, in sui fiduciam mens levatur. (*Cap.* 40.) Voluptati non indulgere obtentu necessitatis.

XX. Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier: quia nonnunquam etiam culpa fortium, occasio virtutis fit, & virtus infirmorum occasio peccati. (*Cap.* 26.) Virtus aliquando peccati occasio.

XXI. Cum infirmus quisque vel ad locum regiminis, vel ad exteriora agenda trahitur, quo quasi extra se ducitur, eradicatur; quia & arbor quæ radices in altum prius non mittit, citius ventorum impetu sternitur. Si se ad altum vertice extollit, eo citius ad ima corruit, quo altius in aere sine radicibus excrevit. (*Cap.* 24.) Humilitas custodienda.

XXII. Non intuendum est si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum convalescant; quia mirum non est si quis bona inchoet; sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. (*Ibid.*) Perseverantia virtutem coronat.

XXIII. Aliquando necesse est ut pravis mentibus quæ humana prædicatione corrigi nequeunt, divina flagella optari benigne debeant. Quod cum magno fit amoris studio, videlicet non errantis pœna, sed correptio quæritur, & oratio potius quam maledictio esse monstratur. (*Lib.* 13. *cap.* 3.) Flagella quando optanda.

XXIV. Qui considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, atque unde in oculis suis jam quasi non vivit, inde veraciter in oculis sui conditoris vivit. Nil quod transeat appetit, cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit, & pene mortuum se considerat, quia moriturum minime ignorat. Perfecta enim vita est mortis imitatio, quam dum justi sollicite peragunt, culparum laqueos evadunt. (*Cap.* 10.) Cogitatio mortis bonam vitam parit.

XXV. Omnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem, ut purgetur vita per pœnam, & quietis tranquillitas, quæ hic inveniri non valet, alibi quæratur. (*Lib.* 14. *Mor. c.* 14.) Cur Deus non exaudiat preces.

XXVI. Resurrectionem quam Christus in se ostendit, in nobis etiam quandoque facturus est. Resurrectionem quippe quam in se ostendit nobis promisit, quia sui capitis gloriam sequuntur membra. Redemptor ergo noster suscepit mortem, ne mori timeremus. Ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse confidamus. (*Cap.* 27.) Resurrectio J. C. pignus nostræ resurrectionis.

XXVII. *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, &c.* Si tanta pœna inulctatur qui non dedisse sua convincitur, qua pœna feriendus est, qui redarguitur aliena abstulisse? (*Lib.* 15. *cap.* 12.)

S. GREG. M. Contra fures.

Justorum felicitas malorum afflictio.

XXVIII. Mira est securitas cordis, aliena non quærere, sed uniuscujusque diei victu contentum manere. Ex qua videlicet securitate etiam perennis requies nascitur, quia a bona & tranquilla cogitatione ad gaudia æterna transitur. Quo contra reprobi, & hic fatigantur in desideriis, & illic in tormentis, eisque de labore cogitationis labor doloris nascitur, dum ab æstu avaritiæ trahuntur ad ignem gehennæ. Et quia sæpe pervetius quisque quanto citius pervenit ad desiderium, tanto facilius rapitur ad tormentum. (*Cap.* 13.)

Dilatio amantem affligit.

XXIX. Amanti adhuc dilatio imponitur, ut ex dilati amoris desiderio, meritum retributionis augeatur. (*Lib.* 16. *Mor. cap.* 12.)

Contra voluptatum amatores.

XXX. *Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent, quanto magis super omnem domum gaudio civitatis exultantis?* ac si aperte dicat; si & illorum mentem vitia deprimunt, qui se pro cælestis patriæ desiderio affligunt, quibus culpis substrati sunt, qui sine ulla formidine sese in carnis voluptate derelinquunt? (*Lib.* 17. *cap.* 10.)

Mendacia etiam officiosa mala.

XXXI. Summopere cavendum est omne mendacium, quamvis nonnumquam sit aliquid mendacii genus culpæ levioris, si quisquam vitam præstando mentitur. Sed quia scriptum est: *Os quod mentitur occidit animam*: &, *perdes omnes qui loquuntur mendacium*; hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur: ne suæ animæ noceant dum præstare vitam carni nituntur alienæ. (*Lib.* 18. *cap.* 4.)

Justi non ab omni labe immunes.

XXXII. Sciendum est quod sunt peccata quæ a justis vitari possunt, & sunt nonnulla quæ etiam a justis vitari non possunt. Cujus enim cor in hac corruptibili carne consistens, in sinistra cogitatione non labitur, vel si usque ad consensus foveam non mergatur? (*Cap.* 5.)

Anima sine delectatione esse non potest.

XXXIII. Qui terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur; esse quidem sine delectatione anima nunquam potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis: & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima: quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto torpore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul & æqualiter amari non possunt. (*Cap.* 8.)

Impœnitentium pœna hic incipit, post mortem perficitur.

XXXIV. *Jesus populos de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit.* Quibus tamen si consensum præbemus, quamlibet culpam bis feriri non posse, hoc ex peccato percussis, atque in peccato suo morientibus debet æstimari, quia eorum percussio hic cœpta, illic perficitur. (*Cap.* 13.)

XXXV.

S. Greg. M.

Una est Ecclesia vera.

XXXV. Una est Ecclesia, in qua qui conflari voluerit, ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari. Si quid pro Deo amaritudinis, si quid tribulationis extra hanc positi sustinetis, incendi potestis tantummodo, non purgari. (*Cap.* 14.)

Humilis apud Deum magnus.

XXXVI. Tanto fit quisque vilior Deo quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo quanto propter eum vilior sibi, quia humilia respicit & alta a longe cognoscit. (*Cap.* 20.)

Scripturarum intelligentia a Deo.

XXXVII. Dicta Dei nullatenus sine ejus sapientia penetrantur: nisi enim qui spiritum ejus acceperit, ejus nullo modo verba cognoscit. (*Cap.* 21.)

Dei Gratia merita praecedit.

XXXVIII. Hominis meritum superna gratia, non ut veniat, inveniet, sed postquam venerit, facit: atque & ad indignam mentem veniens Deus, dignam sibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum quod remuneret, qui hoc solum invenerat, quod puniret. (*Cap.* 22.)

Mundanae curae quo ordine suscipiendae.

XXXIX. Exteriores curæ si perverso amore non appetuntur, non confuso sed ordinato animo ministrari queunt. Sancti etenim viri nequaquam eas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt, & quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant: sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, & exercent quod vitant. Intrant enim ad cor suum, & ibi consulunt quid velit occulta voluntas Dei: se seque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant cervicem cordis jugo divinæ dispensationis. (*Cap.* 25.)

Spiritus & carnis æquilibrium.

XL. Ad ima pertrahit caro ne extollat spiritus, & ad alta sustollit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis: caro aggravat, ne extollamus ex summis. (*Lib.* 19. *cap.* 5.)

Salus animæ procuranda.

XLI. Si magnæ mercedis est a morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti a morte animam liberare, in cælesti patria sine fine victuram? (*Cap.* 12.)

Peccata ignorantiæ & infirmitatis.

XLII. Crebro peccatum aut ignorantia, aut infirmitate perpetratur; ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit. (*Cap.* 14.)

Justum judicium.

XLIII. *Et causam quam nesciebam diligentissime investigabam.* Qua in re notandum video, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus. (*Ibidem.*)

Tempus misericordiæ & judicii.

XLIV. Hoc tempus misericordiæ est, illud tempus judicii erit. Per ista ergo hujus temporis flagella significas, quomodo tunc percussurus es quando non parcens judicas, qui sic districte modo percutis quando parcis. (*Cap.* 16.)

Prædicator apte prædicet.

XLV. Debet subtiliter is qui docet perspicere, ne plus studeat, quam ab audiente capiatur, prædicare. Debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, parvis subli-

mia, & idcirco non profutura loquitur, se magis curat ostendere, quam auditoribus prodesse. (*Lib.* 20. *Mor. cap.* 2.)

S. Greg. M.

Prælati moneantur. XLVI. Talis debet esse dispensatio regiminis, ut is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari: ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. (*Cap.* 3.)

Voluptas necessitate fucatur. XLVII. Necessitates naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sæpe in eis minime discerni potest, quid circa illos per utilitatis studium, & quid per voluptatis vitium agatur. Crebro enim occasione seductionis inventa, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, & infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendæ utilitatis occultat. Infirmitatem vero naturæ nostræ per negligentiam relaxare, nihil est aliud quam calamitati miseriam addere, ac vitiorum squalorem ex eadem miseria multiplicare. Unde sancti viri in omne quod agunt studiosissima intentione discernunt, ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas quam sibi debetur exigat: ne sub necessitatis regimine in eis vitium voluptatis excrescat. (*Cap.* 15.)

Correctio magis facto quam verbis fiat. XLVIII. Sciendum est quod nonnumquam cum redarguuntur pravi, deteriores existunt. Ipsis ergo & non nobis parcimus, si ab eorum redargutione pro eorum amore cessamus. Unde necesse est ut aliquando toleremus tacendo quod sunt, quatenus in nobis discant videndo quod non sunt. (*Cap.* 17.)

Charitas compatitur. XLIX. Necesse est scire, quia ille perfecte tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit: ut prius in se dolentis passionem transferat, & nunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. (*Cap.* 26.)

Vera abstinentia qualis. L. Virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat quantum valet, aut valde inordinata est, si corpus atterit plusquam valet. Per abstinentiam quippe carnis vitia sunt extinguenda, non caro: & tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, ut & ad culpam caro non superbiat, & tamen ad affectum rectitudinis in operatione subsistat. (*Cap.* 31.)

Custodia oculorum. LI. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*. Quisquis per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis, incipit velle, quod noluit. Præceps quippe anima dum ante non provident ne incaute videat quod concupiscat, cœca post incipit desiderare quod vidit. (*Lib.* 21. *Mor. c.* 2.)

Malorum prosperitas fetalis. LII. In suis voluptatibus relaxatur injustus, quia tanto ei temporalia bona suppetunt, quanto æterna denegantur. Injustus ad debitam mortem currens, effrænatis voluptatibus utitur, quia & vituli qui mactandi sunt, in liberis pastibus relinquuntur. At contra justus a delectationis transitoriæ jucunditate restringitur, quia & nimirum vitulus ad laboris usum vitæ deputatus sub jugo retinetur. Negantur electis in hac vita bona terrena, quia & ægris qui-

quibus spes vivendi est, nequaquam a medico cuncta quæ appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona quæ in hac vita appetunt, quia & desperatis ægris omne quod desiderant non negatur. Perpendant igitur justi quæ sint mala quæ iniquos manent, & nequaquam eorum felicitati invideant quæ percurrit. (*Cap.* 4.) S. Greg. M.

LIII. Sic Dominus uniuscujusque considerat vias, sic dinumerat gressus, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. (*Ibidem.*) Judicia Dei severa.

LIV. Sic Dominus singulorum vias considerat, sic gressus enumerans pensat, ut subtili examine perpendat, vel quantum quisque ad bona proficiat, vel quantum ad mala devians suis profectibus contradicat. Unde Sancti viri tanto subtilius se in cogitatione constringunt, quanto a superno judice districtius considerari conspiciunt. Mentem quippe discutiunt, invenire si qua deliquerint quærunt. Ut tanto fiant irreprehensibiles judici, quanto semetipsos quotidie, & sine cessatione reprehendunt: nec tamen hac de re jam gaudia securitatis sumunt, quia ab illo se videri considerant, qui in eis & illa videt, quæ videre ipsi in semetipsis non valent. (*Ibidem.*) Idem.

LV. Si eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur.... Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit, uberius reddit. (*Cap.* 14.) Utilitas eleemosynæ.

LVI. Unaquæque virtus tanto minor est, quanto desunt cæteræ. Nam sæpe quosdam pudicos quidem vidisse nos contigit, sed non humiles; quosdam vero quasi humiles, sed non misericordes: quosdam quasi misericordes, sed non justos, quosdam vero quasi justos, sed in se potius quam in Domino confidentes. Et certum est quia nec castitas in ejus corde vera est, cui humilitas deest: quippe quia superbia se intrinsecus corrumpente fornicatur, si semetipsum diligens a divino recedit amore..... una itaque virtus sine aliis aut omnino nulla est aut imperfecta. (*Lib.* 22. *Mor. cap.* 1.) Virtutum unio.

LVII. *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quæ nimirum dilectio si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solet: scilicet si & amicos in Deo, & inimicos diligimus propter Deum. Sed sciendum est, quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur. (*Cap.* 6.) Inimicorum dilectio.

LVIII. Minor est virtus certaminis, foris quempiam videre mala quæ superet, & intus quod toleret non habere. Perfectæ autem magnitudinis laus est adversa perpeti, & exterius fortiter, & interius clementer. (*Cap.* 7.) Pœnæ exteriores & interiores patienter tolerandæ.

LIX. Multa sunt quæ audientis animum produnt: maxime si audito- Auditorum animus quæ-lis.

ditores nostri & semper laudant quod audiunt, & numquam quod laudant, sequuntur. (*Cap.* 12.)

S. GREG. M.

Vera Oratio est non tam in ore quam in corde.

LX. Vera postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. (*Cap.* 13.)

Ecclesiæ reditus quibus debeantur.

LXI. Fructus terræ absque pecunia comedere est ex Ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere. De qua videlicet prædicatione authoris voce dicitur, *oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum erat cum usura.* Terræ igitur fructus absque pecunia comedit qui Ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium populo non impendit. (*Cap.* 16.)

Imperfecti nec prædicent nec præsint.

LXII. Hi qui adhuc vitiorum bello subjacent, nequaquam per prædicationis usum præesse magisterio cæterorum debent. (*Lib.* 23. *Mor. cap.* 6.)

Quo animo corrigere debeamus.

LXIII. Nos quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quod sumus, ut ex propria infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur, quia aut tales sumus quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, etsi jam divina operante gratia non sumus: ut tanto temperantius humili corde corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his quos emendamus agnoscimus. (*Cap.* 8.)

Vera scientia humiliat.

LXIV. Vera scientia afficit, non extollit: nec superbientes quos repleverit, sed lamentantes facit. Qua quisque cum repletus fuerit, primo loco se scire appetit, & jam sui conscius tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum in illa verius agnoscit: atque ampliorem viam hujus scientiæ ipsa ei humilitas aperit, dumque imbecillitatem suam conspicit, ipsa ei cognitio secretorum sublimium absconditos sinus pandit: qua cognitione pressus subtilior redditur quo ad occulta rapiatur. (*Cap.* 10.)

Flagella Dei patienter sustinenda.

LXV. Flagellatus homo considerans quia illo major est Deus, in omne quod patitur, ejus judicio se postponit, cui se minorem esse non dubitat, & quod a meliore patitur, justum credit, etiamsi ejusdem justitiæ causas ignorat. Quisquis enim etiam pro peccato percutitur, nisi murmurando renitatur, eo ipso jam justus esse inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. (*Ibidem.*)

Flectis viam in hoc mundo asperam Deus facit.

LXVI. Recte per prophetam dicitur: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*: ac si diceret: omne quod hic sibi paravit ad requiem, hoc ei mutasti occulto judicio ad perturbationem. Quod pio quidem Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe est vita præsens qua ad patriam

patriam tendimus, & idcirco hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent etenim nonnulli viatores cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & a cœpti itineris rectitudine declinare: eorumque gressus tardat pulchritudo itineris dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit; ne dum quisque vitæ præsentis requie quasi amœnitate viæ pascitur, magis eum diu pergere quam citius pervenire delectet, ne dum oblectatur in via, obliviscatur quod desiderabat in patria. (*Cap.* 15.) S. Greg. M.

LXVII. Quid sumus, si a conditoris nostri protectione deseramur? quæ nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur. Sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo quod sine illa nihil sit, ostendamus. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per adversa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat. Qua destituti dum cadere incipimus, & tamen adjuti retinemur: & doctrina sit quod in lapsu trepidamus, & custodia quod in statu permaneamus. Nemo ergo se alicujus virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter potest, quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruitur, ubi se valenter stare gloriabatur. (*Cap.* 9.) Utile si quando Deus se retrahit.

LXVIII. At ne conversus quisque jam sanctum esse se credat, & quem mœroris pugna superare non valuit, reipsa postmodum securitas sternat, dispensante Deo permittitur, ut post conversionem suam tentationum stimulis fatigetur.... Conversio videlicet securitatem parit, mater autem negligentiæ solet esse securitas. (*Lib.* 24. *Mor. cap.* 7.) Utilitas tentationum.

LXIX. *Christus factus in agonia cœpit prolixius orare.* Quid pro se ille cum in agonia esset peteret, qui in terra positus cælestia cum potestate tribuebat? sed appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno propinquamus judicio. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit quod in æternum mutare non possit. (*Ibidem.*) Terror in morte.

LXX. *Auris verba probat, & guttur escas dijudicat.* At contra arrogans in prædicatione sua aures tantummodo sapientium expectat, quia non ideo prædicat ut possit quoslibet sapientes efficere, sed ideo sapientes quærit, ut possit quod senserit superbiendo monstrare. (*Cap.* 8.) Contra Prædicatores vanos & arrogantes.

LXXI. Vitium superbiæ ab ipsa mox radice secandum est, ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne provectu vigeat, ne usu roboretur. Difficile enim in se quisque inveteratam superbiam deprehendit, quia nimirum hoc vitium quanto magis patimur, tanto minus videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Quo se hæc latius dilatat, eo vehementius lumen angustat. Paulisper ergo elatio in præcordiis crescit, Magis superbi minus suam agnoscunt superbiam.

& cum

S. GREG. M. & cum se vastius extenderit, oppressa mentis oculum funditus claudit ut captivus animus typum elationis & pati possit, & tamen id quod patitur, videre non possit. (*Cap.* 13.)

Regula Sermonis. LXXII. In omni quod dicitur summopere intuendum est quid dicatur, cui dicatur, quando dicatur, quomodo dicatur. (*Ibid.*)

Vita via ad mortem. LXXIII. Hoc ipsum morituros vivere, quasi ad mortem ire est, & quot dies vitæ peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus propinquamus; ipsa quippe augmenta, detrimenta sunt temporum, quia vitæ nostræ spatia quanta esse cœperint, incipiunt jam tanta non esse. (*Lib.* 25. *Mor. cap.* 2.)

Examen criminum utile. LXXIV. Cum nos videri non credimus, in sole clausos oculos tenemus. Illum videlicet nobis abscondimus, non nos illi. Nunc ergo dum possumus, a conspectu æterni judicis & male cogitata, & pejus perpetrata deleamus, revocemus ante oculos cordis quidquid perverse egimus per nequitiam præsumptionis. (*Cap.* 4.)

Timendum pro gratia accepta. LXXV. Formidemus in his quæ accepimus, nec illos qui ea necdum assecuti sunt, despiciamus. Quid enim sumus hodie, novimus. Quid autem post paulolum possimus esse nescimus. Hi vero quos fortasse despicimus, & tarde possunt incipere, & tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui a nobis stantibus irridetur, quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. (*Cap.* 8.)

Peccatum suo pondere in aliud trahit. LXXVI. Omne peccatum, quod tamen citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati. Peccatum nempe, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit ut non solum peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est & pœna peccati, quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat. (*Cap.* 9.)

Quomodo Superiores corrigendi. LXXVII. Quamvis subditorum vitia quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt, ejus procul dubio judicio reservantur. Igitur dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quicquid prioris est, toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat justitiæ inordinata defensio, ne dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur, ne cum sibi præesse quisque despiciat quem fortasse contingit, ut in aliqua actione reprehendat. (*Cap.* 14.)

Dilatio exauditionis utilis. LXXVIII. Desideria nostra dilatione extendunt ut proficiant: proficiunt ut ad hoc quod perceptura sunt, convalescant; exercitantur in certamine, ut majoribus cumulentur præmiis in retributione: labor protrahitur pugnæ, ut crescat corona victoriæ. (*Lib.* 26. *Mor. cap.* 15.)

LXXIX.

LXXIX. Deus & nonnulla percutit, & nonnulla inulta relinquit; quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? & rursus, si hic cuncta percuteret, extremum judicium unde restaret? quædam igitur feriuntur, ut rectoris nostri super nos sollicitudinem formidemus; quædam vero inulta servantur, ut adhuc judicium restare sentiamus. (*Cap.* 17.)

Cur Deus aliquos puniat, aliquos non puniat in mundo.

LXXX. Mirum valde est cum in cordibus sublimium regnat humilitas morum. Unde pensandum est quia potentes quique cum humiliter sapiunt, culmen extraneæ & quasi longe positæ virtutis attingunt, & recte hac virtute Dominum quantocius placant; quia illud ei sacrificium humiliter offerunt, quod potentes invenire vix possunt. Subtilissima namque ars vivendi est culmen tenere, gloriam premere, esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire; ad largienda bona potentem se cognoscere, ad rependenda noxia omne quod potenter valet, ignorare. Recte itaque de talibus dicitur, *Deus potentes non abjicit, cum & ipse sit potens.* (*Cap.* 19.)

Potentes in sæculo humiles sint.

LXXXI. Cum stare animus in semetipso nititur, a semetipso aliquo modo etiam nesciendo derivatur. Humana namque anima ab unaquaque re cui intenditur, fastidio impellente removetur; sed dum inhianter cogitanda appetit, & repente cogitata fastidit, docet quod aliunde pendet, quæ quolibet posita non requiescit. Ad illum quippe suspensa est a quo formata. Et quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem quod infra appetit minus est, jure ei non sufficit quod Deus non est. Hinc est quod huc illucque spargitur, & ab unaquaque re fastidio impellente removetur. Delectationis videlicet avida; quærit, quo pauset; unum vero quem sufficienter habere poterat, amisit. Unde nunc per multa ducitur, ut quia qualitate rerum non potest, saltem varietate satietur (*Cap.* 28.).

Nihil præter Deum nobis sufficit.

LXXXII. *Nescis opera Dei qui fabricator est omnium.* Ut enim unum e multis loquar, duo ad hanc lucem parvuli veniunt, sed uni datur ut ad redemptionem per baptisma redeat, alter ante subtrahitur, quam hunc regenerans unda perfundat. Et sæpe fidelium filius sine fide rapitur, sæpe infidelium concesso fidei Sacramento renovatur. Sed fortasse aliquis dicat; quod hunc Deus acturum prave etiam post baptisma noverat, & idcirco eum ad baptismatis gratiam non perducat. Quod si ita est, peccata quorumdam procul dubio priusquam sint perpetrata, puniuntur. Et quis ista recte sentiens dixerit, quia omnipotens Deus qui alios a perpetratis facinoribus liberat, hæc in aliis etiam non perpetrata condemnat? occulta itaque sunt ejus judicia, & quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent humilitate venerari. (*Lib.* 27. *Mor. cap.* 2.)

Judicia Dei veneranda, non scrutanda.

LXXXIII. Quem Dominus illustrando repleverit, ejus vitam procul dubio in lamentum vertit, atque illuminatæ menti quo magis æterna supplicia insinuat, eo hanc durius de transacta nequitia

Effectus gratiæ in peccatore.

[redacted] gemitibus fatigat, & dolet homo quod fuit; quia bonum jam in-
S. GREG. M. cipit videre quod non fuit, odit qualem se fuisse meminit, amat qualem se esse debuisse cognoscit, & solam jam pœnitentiæ amaritudinem diligit. (*Cap.* 12.)

Mentem Deus ad pœnitentiam illustrat. LXXXIV. Cum mentem Deus ingreditur, constat procul dubio quod mox pœnitentiæ gemitus sequatur, ut ei jam salubriter flere libeat, quæ prius de iniquitatibus flenda jucunditate gaudebat. (*Ibidem.*)

Idem. LXXXV. Sed nequaquam sibi doctores tribuant quod per exhortationem suam ad summa proficere auditores vident: quia nisi Spiritus Sanctus eorum corda repleat, aures corporum vox docentium in cassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc imprimere interius non possunt. (*Cap.* 23.)

Humilitas radix, charitas nutrix virtutum. LXXXVI. Fit ut accepta virtus dum in usu transitoriæ laudis assumitur, quia vitio militat, virtus non sit. Quia enim origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat; quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat. A qua nimirum, si abscinditur arescit, quia vivificantem se in intimis humorem charitatis perdit. (*Cap.* 27.)

Multis modis Deus nos probat. LXXXVII. Tribus modis nos conditor noster interrogare consuevit, cum aut flagelli districtione nos percutit, & quanta nobis insit, vel desit patientia ostendit: aut quædam quæ nolumus præcipit, & nostram nobis obedientiam, vel inobedientiam patefacit: aut aliqua nobis occulta aperit, & aliqua abscondit, & nobis mensuram humilitatis nostræ innotescit. (*Lib.* 28. *Mor. cap.* 5.)

Spes timori jungenda. LXXXVIII. Vas electionis mihi est, tamen adhuc castigans corpus suum metuit ne reprobetur. Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profecto, debet in spe esse non solum securitas, sed etiam timor in conversatione, ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat. (*Lib.* 29. *Mor. c.* 9.)

Sancti Dei indigent misericordia. LXXXIX. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicetur; quia districte discussa inde ante oculos judicis, unde se placere suspicatur, obruitur. (*Ibidem.*)

Dæmon quomodo tentet. XC. Non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis, ac juxta positis vitiis fatigantur. Prius enim conspersionem uniuscujusque antiquus adversarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. (*Cap.* 12.)

Quomodo prædicandum. XCI. Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut & ad sua singulis congruat, & tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. (*Lib.* 30. *Mor. cap.* 4.)

Injuriæ patienter tolerandæ. XCII. Tunc illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur, quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est quod meremur; sicque fit, ut contumeliis gratia magis quam ira debentur, quarum interventu Deo judice pœna gravior declinari posse confiditur. (*Cap.* 9.)

XCIII.

XCIII. Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. (*Cap.* 12.) Solitudo cordis.

XCIV. Sciendum est quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit. Aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando ut quælibet sumenda sint præparari accuratius expetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit; sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit. (*Cap.* 13.) Contra gulam.

XCV. Non cibus, sed appetitus in vitio est. Unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.... Unde & antiquus hostis quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, & primum sibi hominem non carne sed pomo subdidit; & secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est quod plerumque Adam culpa committitur, etiam cum abjecta & vilia sumuntur. Neque enim Adam solus ut a vetito pomo se suspenderet, præceptum prohibitionis accepit. Nam cum alimenta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat. Et dum concupiscentes noxia attingimus; profecto quid aliud quam vetita degustamus? ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, & non quæ edendi libido suggerit. (*Ibidem.*) Ciborum usus.

XCVI. Eo tempore, quo necessitati debitum solvitur, quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, & quid voluptas suppetat, ignoratur. Sæpe vero & discernimus, & quia utramque per experientiam sibi conjunctam novimus, in hoc quod extra metas rapimur, libere reficiendo fallimur: & dum sibi mens ex necessitate blanditur, ex voluptate decipitur. Scriptum quippe est: *Carnis curam ne feceritis in desideriis....* Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt: & cum virtus alitur, plerumque vires vitiis augentur. Cum vero immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Unde necesse est ut interior homo noster æquus quidam arbiter præsideat inter se & eum quem exterius gestat: quatenus ei homo suus exterior & semper ad debitum ministerium servire sufficiat, & nunquam superbe libera cervice contradicat. (*Cap.* 14.) Regula circa temperantiam.

XCVII. Quamvis securitati timor semper longe abesse videatur, nobis tamen nihil est securius quam sub spe semper timere, ne incauta mens aut desperando se in vitiis dejiciat, aut extollendo de donis ruat. Ante districti enim ac pii Judicis oculos quanto de se sub spe humilius trepidat, tanto in illo robustius stat. (*Cap.* 18.) Cum timore sperandum.

XCVIII.

S. Greg. M.

Terrena non diligenda.

XCVIII. Ibi est grande studium defensionis, ubi & gravior vis amoris. Nam quanto magis terrena diligit, tanto privari eis vehementius pertimescit. Qua enim mente aliquid in hoc mundo possidemus, non docemur, nisi cum amittimus. Sine dolore namque amittitur, quidquid sine amore possidetur. Quæ vero ardenter diligimus habita, graviter suspiramus ablata. Quis autem nesciat quia nostris usibus res terrenas Dominus condidit, suis autem animas hominum creavit? plus ergo Deo se amare convincitur, qui neglectis his quæ ejus sunt propria tuetur. (*Lib.* 31. *Mor. cap.* 8.)

Justis levia peccata gravia apparent.

XCIX. At si mens nostra igne compunctionis incalescens, a torpore suo tacta subito afflatu contemplationis evigilet, illa quæ levia ante paulo credidit, mox ut gravia ac mortifera perhorrescit. Cuncta enim vel in minimis noxia quasi atrocissima refugit: quia videlicet per conceptionem Spiritus gravida, introire ad se jam inania nulla permittit. (*Lib.* 32. *Mor. c.* 1.)

Justitia Dei ante peccatum timenda, post peccatum in misericordia sperandum.

C. Pius ac justus est Conditor noster. Sed nemo dicat quia pius est, venialiter pecco. Et nemo qui peccaverit dicat: quia justus est, de peccati remissione despero. Relaxat enim Deus facinus quod defletur, sed perpetrare quisque timeat, quod an digne deflere possit ignorat. Ante culpam ergo justitiam metuat, post culpam tamen de pietate præsumat: neque ita justitiam timeat, ut nulla spei consolatione convalescat: neque ita confidat de misericordia, ut adhibere vulneribus suis dignæ pœnitentiæ negligat medicinam, sed quem præsumit sibi pie parcere, semper etiam cogitet & districte judicare. (*Lib.* 33. *Mor. c.* 10.)

Gemitus cordis.

CI. Veraciter orare, est amoris in compunctione gemitus, & non composita verba resonare. (*Cap.* 21.)

Cur Deus peccatum æterna pœna puniat.

CII. At, inquiunt, sine fine puniri non debet culpa cum fine: justus est omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citius respondemus, quod recte dicerent, si judex justus districtusque veniens, non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quam vivere, & ideo hic semper vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare, cum vivunt. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quandiu valuit, habere noluit terminum criminis. (*Lib.* 34. *Mor. c.* 16.)

Humilitas electorum virtus.

CIII. Hoc proprium esse speciem electorum solet, quod de se semper sentiunt infra quam sunt. (*Cap.* 17.)

Superbia bona opera corrumpit.

CIV. Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer mor-

morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiamſi virtus eſſe oſtenditur, non per hoc Deo, ſed ſoli vanæ gloriæ ſerviatur. (*Cap.* 18.)

S. Greg. M.

CV. Hi nimirum qui humilitatem, quæ virtutum mater eſt, neſciunt, uſum laboris ſui perdunt, etiamſi qua bona ſunt quæ operari videantur; quia ſurgentis fabricæ robuſta celſitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra ſolidatur. Soli ergo ruinæ creſcit quod ædificant, quia ante molem fabricæ, humilitatis fundamina non procurant. (*Ibid.*)

Baſis vitæ chriſtianæ humilitas.

CVI. Cunctis ſuperba apud ſe cogitatione ſumentibus ineſt clamor in locutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in hilaritate, furor in triſtitia, inhoneſtas in actione, honeſtas in imagine, erectio in inceſſu, rancor in reſponſione. Horum mens ſemper eſt ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad laceſſendos vero alios importuna, ad ea quæ facere & debet & prævalet, ignava; ad ea autem quæ facere nec debet nec prævalet, parata. (*Ibidem.*)

Superbia deſcribitur.

CVII. Quia Redemptor noſter corda regit humilium & Leviathan iſte rex dicitur ſuperborum, aperte cognoſcimus quod evidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbia eſt, at contra humilitas electorum. Cum ergo quam quiſque habeat cognoſcitur, ſub quo rege militet invenitur. Unuſquiſque enim quaſi quemdam titulum portat operis, quo facile oſtendat ſub cujus ſerviat poteſtate rectoris. (*Ibid.*)

Dæmon Rex ſuperborum, Chriſtus humilium.

CVIII. Tunc bene dicitur bonum, cum is qui dicit, ſoli ei a quo accipit, per id appetit placere quod dicit. (*Lib.* 35. *Mor. cap.* 16.)

Quis bene de Deo loquatur.

CIX. Deo quidem ex ea me intentione ſummopere placere voluiſſe cognoſco, ſed eidem intentioni qua Deo placere ſtudeo, furtim ſe, neſcio quomodo, intentio humanæ laudis interſerit. Quod cum jam poſtmodum tardeque diſcerno, invenio me aliter agere, quod ſcio me aliter inchoaſſe. Sic etenim ſæpe intentionem noſtram, dum ante Dei oculos recte incipitur, occulto ſibi ſubjuncta, & eam velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis aſſequitur. Sicut pro neceſſitate quidem cibus ſumitur, ſed in ipſo eſu dum furtim gula ſubrepit, delectatio permiſcetur. Unde plerumque contingit, ut refectionem corporis quam ſalutis cauſa cepimus, cauſa voluptatis expleamus. Fatendum eſt igitur, quod rectam quidem intentionem noſtram, quæ ſoli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quam de donis Dei placere hominibus quærit, inſidiando comitatur. (*Idid.*)

Sæpe bene incipientes male progredimur.

Ex libro Paſtoral.

CX. Nam cum rerum neceſſitas expoſcit, penſandum valde eſt ad culmen quiſque regiminis qualiter veniat: atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat; atque bene vivens qualiter doceat; & recte

Dignitates in Eccleſia non ambiendæ.

S. GREG. M. recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta valeat consideratione cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. (*Part. 1. Prolog.*)

Contra Ecclesiasticorum superbiam. CXI. *Ipsi regnaverunt & non ex me, principes extiterunt, & ego ignoravi.* Ex se namque & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur. Quos tamen internus judex & provehit, & non cognoscit: quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat. (*Cap. 1.*)

Magis timenda elevatio quam depressio. CXII. Quis principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is qui hos nimirum regeret quos ipse creaverat? sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum sponte pervenit. Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetit: ut membra ejus videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare: quia & ista sæpe per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant. (*Cap. 3.*)

Humilis dignitates invitus acceptat. CXIII. Non vere humilis est, qui superni nutus arbitrio ut debeat præesse intelligit, & tamen præesse contemnit. Sed divinis dispositionibus subditus, atque a vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus & aliis prosit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire. (*Cap. 6.*)

Ministeria aliquando expetenda, aliquando fugienda. CXIV. Duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor & proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Isajas, officium prædicationis appetit. Per contemplativam vero Jeremias amori conditoris sedulo inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetiit, hoc laudabiliter alter expavit. Iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret, sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum: quia & is qui recusavit, plene non restitit, & is qui mitti voluit ante per altaris calculum se purgatum vidit: ne aut non purgatus adire quisque ministeria sacra audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat. (*Cap. 7.*)

Quando sit optandus Episcopatus. CXV. Tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. (*Cap. 8.*)

Quis refugere debeat Episcopatum. CXVI. Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, ne coactus accedat. (*Cap. 9.*)

Nullus ad Sacerdotium ascendat si nescit prædicare. CXVII. Præconis officium suscipit quisquis ad Sacerdotium accedit, ut ante adventum judicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam

quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est quod super Pastores primos in linguarum specie Spiritus Sanctus insedit, quia nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit.... Scriptum est: ut audiatur sonitus quando ingreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur: quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis accedit. (*Part.* 2. *cap.* 4.)

S. GREG. M.

Munia Rectoris erga subditos.

CXVIII. Curandum est ut rectorem subditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. (*Cap.* 6.)

Prædicationi jungenda eleemosyna.

CXIX. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Unde rectori necesse est, ut interiora possit infundere cogitatione, innoxia etiam exteriora providere. (*Cap.* 7.)

Subditorum reverentiam sibi conciliet Pastor animarum.

CXX. Sciendum est quod non oportet ut rectores boni placere hominibus appetant, sed ut suæ æstimationis dulcedine, proximos in affectum veritatis trahant: non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quandam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem conditoris sui introducant. Difficile quippe est ut qualibet recta denuncians prædicator qui non diligitur, libenter audiatur: debet ergo qui præest, & studere se diligi, quatenus possit audiri, & tamen amorem suum pro seipso non quærere, ne inveniatur ei cui servire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. (*Cap.* 8.)

Errores ex ignorantia & infirmitate leniter corrigendi.

CXXI. Nonnulla sunt leniter arguenda, nam cum non malitia, sed sola ignorantia vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur. Cuncti quippe quousque in mortali carne subsistimus, corruptionis nostræ infirmitatibus subjacemus. Ex se ergo debet unusquisque colligere qualiter alienæ oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem ferventius rapiatur, oblitus sui esse videatur. (*Cap.* 10.)

Contra impatientiam.

CXXII. Charitas patiens est. Igitur cum minime est patiens, Charitas non est. Per hoc quoque impatientiæ vitium ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur. (*Part.* 3. *Admonit.* 10.)

Multiloquium vitandum.

CXXIII. Otiosum verbum est quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo de otioso sermone ratio exigatur, pensemus quæ pœna multiloquium maneat, in quo etiam per noxia verba peccatur. (*Cap.* 15.)

Abstinentes quando Deo placeant.

CXXIV. Jejunium sanctificare est adjunctis aliis bonis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Admonendi sunt abstinentes, ut noverint quia tunc placentem Deo abstinentiam offerunt, cum ea quæ

fibi de alimentis fubtrahunt, indigentibus largiuntur. (*Admonit.* 20.)

6. GREG. M.

Eleemofynam dare opus juftitiæ.

CXXV. Nam cum qualibet neceffaria indigentibus miniftramus, fua illis reddimus, non noftra largimur, juftitiæ debitum potius folvimus, quam mifericordiæ opus implemus.... Difperfit dedit pauperibus, juftitia ejus manet in fæculum fæculi. (*Admonit.* 22.)

Contra divites immifericordes.

CXXVI. Neque enim dives in Evangelio qui induebatur purpura & byffo, qui epulabatur quotidie fplendide, aliena rapuiffe, fed infructuofe propriis ufus fuiffe perhibetur; eumque poft hanc vitam ultrix gehenna fufcepit, non quia aliquid illicitum geffit, fed quia immoderato ufu totum fe licitis tradidit. (*Ibidem.*)

Contra pacis perturbatores.

CXXVII. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Atque e diverfo colligant; quia fi filii Dei vocantur qui pacem faciunt, procul dubio fatanæ funt filii qui confundunt. (*Admonit.* 24.)

Præparatio præmittenda ad obeunda Ecclefiæ minifteria.

CXXVIII. Admonendi funt ut confiderent quod ftructuris recentibus necdum folidatis, fi tignorum pondus fuperponitur, non habitaculum, fed ruina fabricatur. Admonendi funt ut confiderent quod conceptas foboles fœminæ fi priufquam plene formentur proferunt, nequaquam domos fed tumulos replent. Hinc eft quod ipfa veritas quæ repente quos vellet roborare potuiffet; ut exemplum fequentibus daret, ne imperfecti prædicare præfumerent, poftquam difcipulos de virtutis prædicatione inftruxit, illico adjunxit: vos autem fedete in civitate quoad ufque induamini virtute ex alto. In civitate quippe confidemus, fi intra mentium noftrarum nos clauftra conftringimus, ne loquendo exterius evagemur: ut cum virtute divina perfecte induimur, tunc quafi a nobifmetipfis foras etiam alios inftruentes exeamus. (*Admonit.* 26.)

Regulæ pro conjugatis.

CXXIX. Admonendi funt conjugiis obligati, ut cum viciffim quæ funt alterius cogitant, fic eorum quifque placere ftudeat conjugi, ut non difpliceat conditori: fic ea quæ hujus mundi funt agant, ut tamen appetere quæ Dei funt non omittant: fic de bonis præfentibus gaudeant, ut tamen folicita intentione mala æterna pertimefcant: fic de malis temporalibus lugeant, ut tamen confolatione integra fpem in bonis perennibus figant: quatenus dum in tranfitu cognofcunt effe omne quod agunt, in manfione fciant quod appetunt: nec mala mundi cor confringant, cum fpes bonorum cæleftium roborat, nec bona præfentis vitæ decipiant, cum fufpecta fubfequentis judicii mala contriftant. (*Admonit.* 28.)

Vita conjugalis.

CXXX. Juxta Segor dicitur, & tamen ad falutem tuta perhibetur, quia conjugalis vita nec a mundo longe divifa eft, nec tamen a gaudio falutis aliena. Sed tunc in hac actione vitam fuam conjuges quafi in parva civitate cuftodiunt, quando pro fe affiduis deprecationibus intercedunt... Cum deprecatio funditur Deo, nequaquam talis conjugii vita damnatur. (*Ibidem.*)

Peccata nedum deferenda, fed & plangenda.

CXXXI. Admonendi funt qui admiffa deferunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas æftiment culpas, quas etfi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim fcriptor fi a

fcri-

[redacted]
S. Greg. M.

scriptione cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat delevit: & simili modo, nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit: cum profecto necesse sit ut verba præmissæ superbiæ verbis subjunctæ humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est quia alia non multiplicat, nisi & illa quæ ligaverat solvat. Ita & cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas diliximus, e contrario oppositis lamentis insequemur. (*Admonit.* 31.)

Sæpe periculosius in levibus delinquere, quam in magnis.

CXXXII. Admonendi sunt qui in minimis frequenter excedunt, ut sollicite considerent, quia nonnunquam in parva deterius, quam in majori culpa peccatur. Major enim quo citius quia sit culpa agnoscitur, eo etiam celerius emendatur. Minor vero dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo & securius in usu retinetur. Unde fit plerumque ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, atque ad quandam authoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat: & tanto in majoribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare. (*Admonit.* 34.)

Virtutes, non miracula sanctum efficiunt.

CXXXIII. Vitæ vera æstimatio in virtute est operum, non in ostensione signorum. Nam sunt plerique qui etsi signa non faciunt, signa tamen facientibus dispares non sunt. (*Lib.* 1. *Dialog. cap.* 12.)

Sacerdos in Missa & se ipsum offerat.

CXXXIV. Vir vitæ venerabilis Cassius Narnensis Episcopus, qui quotidianum offerre consueverat Deo Sacrificium, seque in lacrymis inter ipsa sacrificiorum arcana mactabat, mandatum Domini suscepit. (*Lib.* 4. *cap.* 57.)

Sacrificium pro defunctis.

CXXXV. Credo quia si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse etiam mortuis victima Sacræ oblationis possit. Sed sciendum est quia illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam post mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. (*Ibidem.*)

Sacrificium Missæ memoria mortis J. C.

CXXXVI. Hæc singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur, tamen in semetipso vivens immortaliter atque incorruptibiliter, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi Corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus Sanguis jam non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. (*Cap.* 58.)

Quomodo audienda Missa.

CXXXVII. Necesse est ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui passionis Dominicæ Mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hostia erit Deo, cum nosmetipsos hostiam fecerimus. Sed studendum nobis est ut etiam post orationis tempora, in quantum Deo largiente possumus, in ipso animum suo pondere & vigore servemus, ne post cogitatio fluxa dissolvat, ne vana menti lætitia subrepat, & lucrum compunctionis anima per incuriam fluxæ cogitationis perdat. (*Cap.* 59.)

Odium proximi grave peccatum.

CXXXVIII. Pensandum est cum omnis culpa munera solvatur, quam

S. GREG. M. quam gravis & culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. (*Cap.* 60.)

Ex libro in Cantica Canticorum.

Animæ sensus in hoc libro. CXXXIX. Sic generaliter ex voce sanctæ Ecclesiæ adventus Domini in hoc opere præstolatur; ut etiam specialiter unaquæque anima ingressum Dei ad cor suum tanquam aditum sponsi in thalamum aspiciat. Itaque Sancta Ecclesia diu præstolans adventum Domini, diu sitiens fontem vitæ: quomodo optet videre præsentiam sponsi sui, quomodo desiderat dicat. (*Expos. in Cant. Cantic. Prol.*)

Fructus & suavitas gratiæ. CXL. Ad verbum sponsi liquefactam se sponsa dicit, quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissolvit: & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit quod se capere intra se exultat. (*Cap.* 5.)

Sanctæ Ecclesiæ dona. CXLI. Sancta Ecclesia gratia genitrice nutritur, dum fide eruditur, carne sui sponsi pascitur, sanguine lavatur, scriptura divina saginatur. Hujusmodi robusta nutrimentis dæmones expugnat, vitia suffocat, carnem domat, spiritum roborat, vitam expectat. (*Cap.* 6.)

Ex Homiliis in Ezechielem.

Juvenes discere debent non docere. CXLII. Juxta rationis usum doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. Unde & ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ in medio Doctorum in Templo sedens, non docens, sed interrogans, voluit inveniri. Ut enim non auderent homines in infirma ætate prædicare, ille anno duodecimo ætatis suæ interrogare homines est dignatus in terra, qui per divinitatem suam semper Angelos docet in cælo. (*Hom.* 2. *sup. Ezech.*)

Miraculorum usus. CXLIII. Miracula in exemplo operationis non sunt trahenda. (*Ibidem.*)

Cur nostra peccata levia, proximi vero gravia judicemus. CXLIV. Nec semetipsi præsens est qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est. Ille autem veraciter se ante se ponit, sibique in præsenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit. Nam sunt multa peccata quæ committimus, sed idcirco nobis gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur. Unde fit plerumque, ut & nostra gravia leviter, & proximorum mala levia graviter judicemus. (*Homil.* 4.)

Veritas nunquam deserenda. CXLV. Notandum est quia in quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum, debemus; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. (*Homil.* 7.)

Patientia jungitur charitati. CXLVI. Patientia vera est, quæ & ipsum amat quem portat. Nam tolerare, sed odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. (*Ibidem.*)

CXLVII.

CXLVII. Quilibet peccator conversus in fletibus, jam justus esse inchoat, cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit? Justus igitur advocatus noster, justos nos defendet in judicio, quia nosmetipsos & cognoscimus & accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus. (*Ibidem*.)

Confessio peccati initium justificationis.

CXLVIII. Nil sine concordia Deo placet... Hinc ergo perpendite, quantum sit malum discordiæ, propter quod & illud abjicitur per quod culpa laxatur. (*Homil.* 8.)

Concordia fovenda.

CXLIX. Ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adjuvat qui jubet. Sic Paulus cum discipulos admoneret dicens: Cum metu & tremore vestram ipsorum salutem operamini: illico quis in eis hæc ipsa bona operaretur adjunxit, dicens: Deus est enim qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate. Hinc est quod ipsa veritas discipulis dicit, sine me nihil potestis facere. Sed in his considerandum, quia si bona nostra sic omnipotentis Dei bona sunt, ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? si autem ita nostra sunt, ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? sed sciendum est, quia mala nostra, solummodo nostra sunt, bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præveniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene Paulus brevi sententia explicat, dicens: plus illis omnibus laboravi. Qui ne suæ videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit: non autem ego, sed gratia Dei mecum. Quia enim cælesti dono præventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit. Non autem ego, sed quia præveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quod libero arbitrio eamdem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit, sed gratia Dei mecum: ac si diceret, in bono opere laboravi, non ego, sed & ego. In hoc enim quod solo Domini dono præventus sum, non ego. In eo autem quod donum voluntate subsecutus, & ego. (*Homil.* 9.)

Opera nostra bona ex Dei gratia.

CL. Quidam relinquunt omnia, multi autem possidendo renunciant, qui sic ad usum possessa retinent, ut eis desiderio non succumbant. (*Homil.* 15.)

Quomodo bona possidenda.

CLI. Unde & donis suis flagella permiscet, ut nobis omne quod nos in sæculo delectabat, amarescat, & illud incendium surgat in animo, quod nos semper ad cæleste desiderium in quiete excitet, atque ut ita dicam, delectabiliter mordeat, suaviter cruciet, hilariter contristet. (*Homil.* 16.)

Deus donis suis flagella miscet.

CLII. Hanc nobis quæstionem citius ipsa veritas solvit, quia via Dei & inchoantibus angusta est, & perfecte jam viventibus la-

Via Dei incipientibus arcta, perfectis lata.

ta. Et dura sunt quæ contra usum spiritualiter animæ proponimus, & tamen onus Dei leve est postquam hoc ferre cœperimus; ita ut pro amore ejus etiam persecutio placeat, & omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat, sicut sancti quoque Apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella tolerabant. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit, ipsæ viæ duræ specialiter currentibus molles & planæ fiunt, dum scit animus se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, & hoc incipit quod affligitur amare. (*Homil.* 17.)

S. GREG. M.

Nemo potest simul cælestia & terrena amare.

CLIII. Nemo potest duobus dominis servire, quia non valet simul transitoria & æterna diligere. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia usu, non affectu possidemus. (*Homil.* 19.)

Gulæ non serviendum.

CLIV. Discamus satiari, ne in sumendis alimentis corporis, gulæ magis quam necessitati serviamus. Plus enim concupiscentia quam necessitas petit: & sæpe dum carnis inopiæ satisfacere curamus, voluptas subrepit, modum refectionis excedit. Unde fit ut culpa transeat ad culpam, quia plerumque inde alia tentatio carnis nascitur, dum carni immoderata refectione servitur. (*Ibidem*.)

Necessaria corpori non recusare.

CLV. Ex peccato primi hominis infirmante natura, in hoc mundo cum nostris tentationibus nascimur. Et caro nobis aliquando adjutrix est in bono opere, aliquando autem seductrix in malum. Si igitur ei plusquam debemus tribuimus, hostem nutrimus. Et si necessitati ejus quæ debemus, non tribuimus, civem necamus. Satianda itaque est caro, sed ad hoc usque, ut in bono nobis opere famulari sufficiat. (*Ibid.*)

Opera nostra bona bene perpendenda.

CLVI. Restat ut sive in verbi ministerio fatigemur, seu indigentibus nostra largiamur, sive per abstinentiam carnem domemus, seu zelo moveamur, sive per patientiam aliquando leniter prava toleremus: ut nos summopere debeamus intentionem nostram discutere: quatenus omne quod facimus, non nostro, sed Domini zelo faciamus: ne in his quæ agimus, nobis potius quam Domino ministremus. (*Homil.* 22.)

Bona voluntas donum Deo gratum.

CLVII. Psalmista dicit: *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi*. Ac si aperte dicat: etsi exterius munera afferenda non habeo, intra memetipsum tamen invenio quod in ara tuæ laudis impónam, quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris. Nihil quippe offertur Deo ditius voluntate bona. (*Hom.* 5. *in Evang.*)

Contra vestium luxum.

CLVIII. Nemo existimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Joannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus Apostolus per epistolam fœminas a pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: *non in veste pretiosa*. Pensate ergo quæ culpa sit, hoc etiam viros appetere a quo curavit pastor Ecclesiæ & fœminas prohibere. (*Homil.* 6.)

Proximi salus procuranda.

CLIX. *Sacerdos Angelus Domini exercituum est*. Sed hujus altitudi-

tudinem nominis etiam vos, si vultis, potestis mereri. Nam unusquisque vestrum in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accepit, si a pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cum sancta denuntiationis verba impendit, profecto angelus existit. Et nemo dicat: admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum. Quantum potes exhibe. (*Ibidem.*)

S. GREG. M.

CLX. Mecum vos admoneo, ut ab otioso sermone parcamus, inutiliter loqui declinemus. In quantum potis est, linguæ prævalemus, in ventum verba non defluant, cum judex dicat: *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii*. Otiosum quippe verbum est quod aut utilitare rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret. Otiosa ergo colloquia ad ædificationis studium vertite. (*Ibidem.*) Quando loquendum.

CLXI. Cum augentur dona, crescunt etiam rationes donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. (*Homil. 9.*) Ratio reddenda de donis a Deo acceptis.

CLXII. Ecce nulli nostrum hoc tempore dicit Deus, pro me morere: sed illicita tantummodo in te desideria occide. Qui ergo in pace subigere carnis desideria nolumus, quando in bello prò Domino ipsam carnem daremus? (*Hom. 11.*) Carnis desideria comprimenda.

CLXIII. Quidquid animo ex præsenti sæculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat. (*Ibid.*) Memoria inferni.

CLXIV. Quia post peccata Deus pœnitentiam suscepit, si sciret quisque de præsenti sæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuisset. Sed qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere. (*Homil. 12.*) Dies extremus metuendus.

CLXV. *Bonus Pastor pro ovibus suis animam suam posuit*, ut in Sacramento nostro Corpus suum, & Sanguinem verteret, & oves quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret. Ostensa nobis est de contemptu mortis via quam sequamur, apposita est forma cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere. Postremum vero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare (*Hom. 14.*) Præsens Christus in Eucharistia exemplum Pastoribus Ecclesiæ.

CLXVI. Quis mihi unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem? maxime cum illæ pungant, istæ delectent. Et tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Quas bene hoc in loco, alio Evangelista attestante, nequaquam Dominus divitias, sed fallaces divitias appellat. Fallaces enim sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. (*Homil. 15.*) Divitiæ spinæ sunt.

CLXVII.

S. GREG. M.

Jejunium vere Christianum.

CLXVII. Illud jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis; alteri largire: ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. (*Homil.* 16.)

Christus magister verbis & operibus.

CLXVIII. Dominus & Salvator noster, fratres charissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus præcepta sunt; quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. (*Homil.* 17.)

Multi Sacerdotes, sed pauci operatores.

CLXIX. Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. (*Ibidem.*)

Contra beneficiarios otiosos.

CLXX. Sed quid nos, quod tamen sine dolore dicere non possumus; quid nos o Pastores agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarii nequaquam sumus? fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minime in prædicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit sine labore hic percipere mercedem laboris. (*Ibidem.*)

Solicitudo temporalium perniciosa.

CLXXI. Quomodo nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus nostram? curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur: usu quippe curæ terrenæ, a cælesti desiderio obdurescit animus, & dum ipso suo usu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei. (*Ibidem.*)

Mali Sacerdotes perniciosi.

CLXXII. Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. (*Ibidem.*)

De se non præsumendum, de proximis non desperandum.

CLXXIII. Quia *multi vocati*, sed *pauci electi sunt*, primum est ut de se quisque minime præsumat, quia etsi jam ad fidem vocatus est, utrum perenni regno dignus sit, nescit. Secundum vero est, ut unusquisque proximum quem fortasse jacere in vitiis conspicit, desperare non audeat, quia divinæ misericordiæ divitias ignorat. (*Homil.* 19.)

Digni pœnitentiæ fructus quales esse debeant.

CLXXIV. Notandum est quod amicus sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere.... Per hoc ergo quod dicitur, *facite dignos fructus pœnitentiæ*, unius cujusque conscientia convertitur: ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. (*Homil.* 20.)

Quomodo Eucharistia sumenda.

CLXXV. Carnes agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, ut cum Corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis no-

ſtris in fletibus affligamus, quatenus ipſa amaritudo pœnitentiæ abſtergat a mentis ſtomacho perverſæ humorem vitæ. (*Homil.* 22.)

S. GREG. M.

CLXXVI. Audiendo præcepta Dei illuminati non ſunt, faciendo illuminati ſunt. (*Homil.* 23.)

Obſervatio Legis illuminat.

CLXXVII. Pater filium miſit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari conſtituit. Quem videlicet in mundum venire ad paſſionem voluit, ſed tamen amavit filium quem ad paſſionem miſit. Electos vero Apoſtolos Dominus non ad mundi gaudia, ſed ſicut ipſe miſſus eſt, ad paſſiones in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur a Patre, & tamen ad paſſionem mittitur; ita & Diſcipuli a Domino amantur, qui tamen ad paſſionem mittuntur in mundum. (*Homil.* 26.)

Patientia Chriſti & Apoſtolorum.

CLXXVIII. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem.* Dominus dicit, quia omne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia unum præceptum ſunt. Quia quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur: ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis. Præcepta ergo Dominica & multa ſunt & unum: multa per diverſitatem operis, unum in radice dilectionis. (*Homil.* 27.)

Omnia præcepta in charitate uniuntur.

CLXXIX. Ille veraciter charitatem habet, qui & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum. (*Ibidem.*)

Dilectio inimici ſignum veræ charitatis.

CLXXX. Quia nomen Filii Jeſus eſt, Jeſus autem Salvator vel etiam ſalutaris dicitur: ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit quod ad veram ſalutem pertinet. Nam ſi id quod non expedit petitur, non in nomine Jeſu petitur Pater. Unde & eiſdem Apoſtolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: *Uſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo:* ac ſi aperte diceretur, non petiſtis in nomine Salvatoris, qui neſcitis quærere æternam ſalutem. Hinc eſt quod & Paulus non exauditur, quia ſi liberaretur a tentatione, ei non prodeſſet ad ſalutem. (*Ibidem.*)

Vera Oratio non niſi utilia ſaluti poſtulat.

CLXXXI. Qui mente integra Deum deſiderat, profecto jam habet quem amat. Neque enim quiſquam poſſet Deum diligere, ſi eum quem diligit non haberet. (*Homil.* 30.)

Qui Deum deſiderat, etiam diligit.

CLXXXII. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. (*Ibidem.*)

Opera ſigna amoris.

CLXXXIII. Tergat ſordes pravi operis qui Deo præparat domum mentis. (*Ibidem.*)

Munditia cordis præparatio mentis.

CLXXXIV. Ad voſmetipſos, fratres chariſſimi, introrſus redite, ſi Deum vere amatis, exquirite. Nec tamen ſibi aliquis credat, quidquid ſibi animus ſine operis atteſtatione reſponderit, de dile-

Charitas numquam otioſa.

[redacted] dilectione conditoris lingua, mens & vita requirantur. Nunquam S. GREG. M. est Dei amor otiosus, operatur etenim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est. (*Ibidem*.)

Novitas vitæ. CLXXXV. Tunc nosmetipsos relinquimus, tunc nos ipsos abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur ad quod per novitatem vocamur. (*Homil.* 32.)

In quibus cordibus Deus inhabitet. CLXXXVI. In illis cordibus Dominus requiescit, quæ amor præsentis sæculi non incendit, quæ carnis desideria non exurunt, quæ incensa sua anxietatibus in hujus mundi concupiscentiis non arescunt. (*Homil.* 33.)

Pœnitentes ferventiores justis. CLXXXVII. Plerumque hi qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem patriam anxie non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis usum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua: quia valde sibi securi sunt, quod nulla commiserint mala graviora. At contra nonnunquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei, se seque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cælestem patriam anhelant; & quia se errasse a Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. (*Homil.* 34.)

Boni non præsumant: mali non desperent. CLXXXVIII. Illos terret ne præsumant in bonis, istos refovet, ne desperent in malis: justus es, iram pertimesce, ne corruas; peccator es, præsume de misericordia, ut surgas. (*Ibidem*.)

Vera pœnitentia quænam. CLXXXIX. Pœnitentiam agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat. (*Ibidem*.)

Duplex martyrium. CXC. Duo sunt martyrii genera, unum in mente simul & actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe a persequente, martyrium in aperto opere est. Ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. (*Homil.* 35.)

Vigilantia in adversis. CXCI. Alia sunt quæ a Deo, alia quæ ab antiquo adversario, alia quæ a proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna & contumelias, ab antiquo vero adversario tentamenta, a Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi, pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta adversarii, seducatur ad delectationem, vel consensum delicti; ne contra flagella opificis, ad excessum proruat murmurationis. (*Ibidem*.)

CXCII.

CXCII. Hoc distare, fratres charissimi, inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciæ cum non habentur, grave in se desiderium accendunt, cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ cum non habentur, in fastidio sunt, cum vero habentur, in desiderio; tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet. In istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat. In istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent etiam spiritales deliciæ desiderium in mente dum satient. Quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur. Et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. (*Homil. 36.*)

S. Greg. M. Differentia deliciarum corporis & cordis.

CXCIII. Si cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo, ut terrena res possideatur, non possideat, ut sub mentis vestræ sit dominio quod habetis, ne mens vestra dum terrenarum rerum amore vincitur, a rebus suis ipsa magis possideatur. Sit ergo res temporalis in usu, æterna in desiderio: sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione. Quasi ex latere respiciatur quidquid in hoc mundo agitur. Ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conspiciunt ad quæ pervenimus. (*Ibidem.*)

Rebus terrenis quomodo utendum.

CXCIV. *Qui habet uxorem, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori*: ille uxorem habet *quasi non habens*, qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat conditori. Flet quoque, sed tamquam non fleat, qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris semper animum consoletur. Gaudet vero, sed tamquam non gaudeat, qui sic de temporalibus bonis hilarescit, ut tamen semper perpetua tormenta consideret, & in hoc quod mentem gaudio sublevat, hanc continuo pondere providi timoris premat. Emit autem, sed quasi non possidens, qui & ad usum terrena præparat, & tamen cauta cogitatione prævidet quod hæc citius relinquat. Mundo quoque utitur, qui & necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, & tamen hæc eadem non sinit suæ menti dominari, ut subjecta foris serviant, & numquam intentionem animi ad alta tendentis frangant. (*Ibidem.*)

Idem.

CXCV. Singulariter ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius reparamus. (*Homil. 37.*)

Virtus sacrificii Missæ.

CXCVI. Multi vestrum, fratres charissimi, Cassium Narniensis Episcopum noverunt, cui mos erat quotidianas Deo Hostias offerre,

Vita sacerdotis qualis sit oporteat.

S. GREG. M.

ferre, ita ut pene nullus dies vitæ ejus abſcederet, quo non omnipotenti Deo Hoſtiam placationis immolaret. Cui cum Sacrificio valide etiam concordabat vita. (*Ibidem*.)

Non amantem pro Deo amare.

CXCVII. Ille ſecurus amat qui propter Deum illum amat, a quo ſe intelligit non amari. (*Hom.* 38.)

J. C. mors imperium mortis deſtruxit.

CXCVIII. Pro nobis Chriſtus Jeſus gratuito reddidit quod non debebat, qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita animæ morte liberavit. (*Homil.* 39.)

CA-

CAPUT XVII.

SELECTA AXIOMATA

S. AUGUSTINI

Hipponensis Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris (a).

Ex Confessionibus.

S. AUGUST.

I. QUIA fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. (*Lib.* 1. *cap.* 1.)

Quies cordis in solo Deo.

II. Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me; & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? parva ne ipsa est, si non amem te? (*Cap.* 5.)

Amoris Dei præceptum.

III. Jussisti, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus. (*Cap.* 12.)

Pœna peccati.

IV. Quid miserius misero non miserante seipsum? (*Cap.* 13.)

Magna miseria.

V. Non uno modo sacrificatur transgressoribus angelis. (*Cap.* 17.)

Multiplicia peccata.

VI. Quasi vero quemlibet inimicum hominem perniciosius sentiat, quam ipsum odium, quo in eum irritatur; aut vastat quisquam persequendo alium gravius, quam cor suum vastat inimicando. (*Cap.* 18.)

Odium proximi fugiendum.

VII. Quam tu secretus es, habitans in excelsis in silentio, Deus solus magnus! lege infatigabili spargens pœnales cæcitates, super illicitas cupiditates. (*Ibidem.*)

Cæcitas pœna cupiditatis.

VIII. Recolo vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulcescas mihi, dulcedo felix & secura; & colligens me a dispersione, in qua frustatim discissus sum, dum ab uno te aversus, in multa evanui. (*Conf. lib.* 2. *cap.* 1.)

Peccatorum memoria in amaritudine.

IX. Tu semper aderas misericorditer sæviens, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas jucunditates meas; ut ita quærerem sine offensione jocundari; & ubi hoc possem, non invenirem præter te, Domine. (*Cap.* 2.)

Misericordia Dei.

X. De

(a) S. Augustinus clarissimum Ecclesiæ lumen natus est Tagastæ anno 354. Manichæus primum, postea Catholicus & Christianus factus a S. Ambrosio Presbyter primum postea Episcopus Hipponensis consecratur anno 396. obiit 430.

S. AUGUST. — *Clamor ad Deum.*

X. De profundo clamandum est ad te: & quid propius auribus tuis, si cor confitens, & vita ex fide est? (*Cap.* 3.)

Gratiæ Dei omnia tribuenda.

XI. Gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci mala: & omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ te duce non feci. (*Cap.* 7.)

Innocentiæ pulchritudo.

XII. Te volo justitia & innocentia, pulchra & decora honestis luminibus, & insatiabili satietate: quies est apud te valde, & vita imperturbabilis. (*Cap.* 10.)

Scriptura parvulis aperta.

XIII. Illa erat quæ cresceret cum parvulis. (*Lib.* 3. *cap.* 1.)

Sine Deo casus.

XIV. Quid sum ego mihi sine te, nisi dux in præceps? (*Lib.* 4. *cap.* 1.)

Miseria humanæ amicitiæ.

XV. Miser est omni animus vinctus amicitia rerum temporalium; & dilaniatur cum eas amiserit: & tunc sentit miseriam, qua miser est, & antequam amittat eas. (*Cap.* 6.)

Beatus Deum amans.

XVI. Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicus propter te. (*Cap.* 9.)

Amor proximi quando non amittitur.

XVII. Solus nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur. (*Ibidem.*)

Recessus a Deo.

XVIII. Te nemo amittit, nisi qui dimittit; & qui dimittit, quo it, aut quo fugit, nisi a te placido, ad te iratum; nam ubi non invenit legem tuam in pœna sua? (*Ibidem.*)

Aures cordis aperiendæ.

XIX. Noli esse vana anima mea, & obsurdescere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. (*Cap.* 11.)

Beata vita ubi quærenda.

XX. Quærite quod quæritis; sed ibi non est ubi quæritis: beatam vitam quæritis in regione mortis: non est illic: quomodo enim beata vita, ubi neque vita? (*Cap.* 12.)

Ardor charitatis efficax.

XXI. Rape eos tecum ad Deum, quia de spiritu ejus hæc dicis eis, si dicis ardens igne charitatis. (*Ibidem.*)

Firmitas in bono a Deo est.

XXII. Firmitas nostra quando tu es, tunc est firmitas; cum autem nostra est, infirmitas est: vivit apud te semper nostrum bonum; & quia inde aversi sumus, perversi sumus. (*Cap.* 16.)

Præsentia Dei cui occulta.

XXIII. Ubi ego eram quando te quærebam? & tu eras ante me, ego autem & a me discesseram; nec me inveniebam, quanto minus te? (*Lib.* 5. *cap.* 2.)

Deus debitor.

XXIV. Dignaris eis, quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri. (*Cap.* 9.)

Cupiditas amara.

XXV. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere quod non eras tu. (*Lib.* 6. *cap.* 6.)

In solo Deo requies vera.

XXVI. O tortuosas vias! væ animæ audaci quæ speravit, si a te recessisset, aliquid melius habituram: versa & reversa, dura sunt omnia, & tu solus requies. (*Cap.* 16.)

XXVII.

S. AUGUST.

XXVII. Tamquam audirem vocem tuam de excelso cibus sum grandium; cresce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, sed tu mutaberis in me. (*Lib.* 7. *cap.* 10.)

Cibus cælestis mutat, non mutatur.

XXVIII. Clamasti de longinquo: *Ego sum qui sum:* & audivi sicut auditur in corde, & non erat prorsus unde dubitarem: faciliusque dubitarem vivere me, quam non esse veritatem, *per ea quæ facta sunt intellecta conspicitur.* (*Ibidem.*)

Deum omnia ostendunt.

XXIX. *Mihi adhærere Deo bonum est:* quia si non manebo in illo, nec in me potero. (*Cap.* 11.)

Deo adhærendum.

XXX. Qui de longinquo videre non potest, viam tamen ambulet, qua veniat; & videat, & teneat. (*Cap.* 32.)

Rectæ viæ insistendum.

XXXI. Vani sunt omnes homines, quibus non inest Dei scientia. (*Lib.* 8. *cap.* 1.)

Vani homines quinam.

XXXII. Heu mihi, quam excelsus es in excelsis! & quam profundus in profundis! & numquam recedis, & vix redimus ad te. (*Cap.* 3.)

Dei Majestas.

XXXIII. Age, Domine, & fac, excita & revoca nos, accende & rape, flagra, dulcesce; jam amemus, & curamus. (*Cap.* 4.)

Gratia Dei imploranda.

XXXIV. Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus. (*Cap.* 5.)

Voluntas prava causa omnis peccati.

XXXV. Cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur, non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi: *Surge qui dormis, & exurge ex mortuis, & illuminabit te Christus*; nisi tantum verba lenta & somnolenta: modo, sine paululum, sed modo non habebat modum & sine paululum, ibat in longum. (*Ibidem.*)

Tarda conversio unde oriatur.

XXXVI. Per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? (*Cap.* 6.)

Periculum parit periculum.

XXXVII. Timebam ne me cito exaudires, & cito sanares a morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri, quam extingui. (*Cap.* 7.)

Vis concupiscentiæ quanta.

XXXVIII. Quid patimur? quid audisti? Surgunt indocti, & cælum capiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ibi volutamur in carne & sanguine. (*Cap.* 8.)

Scientia inflat.

XXXIX. Ire & pervenire, nihil erat aliud quam velle ire; sed velle fortiter & integre, non semisauciam hac atque hac versare voluntatem, parte assurgente cum alia parte cadente luctantem. (*Ibidem.*)

Reluctatio in voluntate.

XL. Quid in te stas, & non stas? Projice securus in eum; noli me-

Misericordia Dei quanta.

S. AUGUST. metuere; non se subtrahet ut cadas. Projice te securus; excipiet te, & sanabit te. (*Cap.* 11.)

Corruptionis abyssus. XLI. Abyssus corruptionis erat nolle quod volebas, & velle quod nolebas. (*Lib.* 9. *cap.* 1.)

Gaudium in conversione. XLII. Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. (*Ibidem*.)

Dulcedo divina. XLIII. Ejiciebas enim eas a me, vera tu & summa suavitas; ejiciebas & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior. (*Ibidem*.)

Merita nostra Dei sunt dona. XLIV. Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua? (*Cap.* 13.)

Oratio pro defunctis. XLV. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat; unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis: ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. (*Ibidem*.)

Vita fletus objectum. XLVI. Cætera vitæ hujus tanto minus flenda, quanto magis fletur: & tanto magis flenda, quanto minus fletur in eis. (*Lib.* 10. *cap.* 1.)

Pœnitentia vera qualis. XLVII. Cum malus sum, nihil aliud est confiteri tibi, quam displicere mihi: cum vero pius, nihil est aliud confiteri tibi, quam displicere mihi. (*Cap.* 2.)

Curiositas prava. XLVIII. Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. (*Cap.* 3.)

Dei amor. XLIX. Non dubia, sed certa conscientia, Domine, amo te. (*Cap.* 6.)

Idem. L. Ubi fulget animæ meæ quod non capit locus, sonat quod non rapit tempus, olet quod non spargit flatus, sapit quod non minuit edacitas, hæret non divellit satietas, hoc est quod amo, cum Deum meum amo. (*Ibidem*.)

Beata vita qualis. LI. Ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te; ipsa est, & non est altera. (*Cap.* 22.)

Minister optimus quinam. LII. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc a te audire, quod ipse voluerit; sed potius hoc velle, quod a te audivit. (*Cap.* 26.)

Justa querimonia. LIII. Sero te amavi, pulcritudo tam antiqua, & tam nova: sero te amavi. (*Cap.* 27.)

Dei præsentia. LIV. Mecum eras: ea me tenebant longe a te, quæ si in te non essent, non essent. (*Ibidem*.)

Patientia. LV. Tolerare jubes molestias, non amare: nemo quod tolerat amat, & si tolerare amat. (*Cap.* 28.)

Gratiæ efficacitas. LVI. Da quod jubes, & jube quod vis. (*Cap.* 29.)

Qualis verus amor. LVII. Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. (*Ibidem*.)

LVIII.

LVIII. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. (*Cap.* 34.) *S. August. Cibus quomodo sumendus.*

LIX. Infelix anima gaudet non apparere quid satis sit moderationi valetudinis; ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. (*Ibidem.*) *Idem.*

LX. Quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metus necessitatis? quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. (*Ibidem.*) *Rarus homo qualis.*

LXI. Una spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua. (*Cap.* 32.) *Dei misericordia.*

LXII. Cantandi consuetudo in Ecclesia, facit ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat: tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. (*Cap.* 53.) *Cantus quando utilis.*

LXIII. Ego capior miserabiliter, & tu evellis misericorditer; aliquando non sentientem, quia suspensus incideram; aliquando cum dolore, quia jam inhæseram. (*Cap.* 34.) *Divinæ vocationis modi.*

LXIV. Cum in hujuscemodi rebus conceptaculum fit cor nostrum, & portat copiosæ vanitatis catervas, hinc & orationes nostræ sæpe interrumpuntur atque turbantur; & ante conspectum tuum, dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, nescio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta præciditur. Numquid hoc inter contemnenda deputabimus, aut aliquid nos reducet in spem, nisi misericordia tua, quia cœpisti mutare nos? (*Cap.* 35.) *Vanæ cogitationes orationem turbant.*

LXV. Nollem ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni; sed auget, fateor, non solum, sed & vituperatio minuit: & cum ista miseria perturbor, subintrat mihi excusatio; quæ qualis sit, tu scis Deus, nam me incertum facit. (*Cap.* 37.) *Affectus humani vix excusandi.*

LXVI. Sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur: & non eam contemnit, cum gloriatur intus. (*Cap.* 38.) *Occulta superbia.*

LXVII. Sibi placentes, multum tibi displicent; non tantum de non bonis, quasi bonis, verum etiam de bonis tuis, quasi suis; aut etiam sicut de tuis, sed tamquam ex meritis tuis; aut etiam sicut ex tua gratia, & non secundum merita sua, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes. (*Cap.* 39.) *Injusta gloriatio.*

LXVIII. Non invenio tutum locum animæ meæ, nisi in te; quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam recedat ex me. (*Cap.* 40.) *In solo Deo securitas.*

LXIX. Mediator inter Deum & homines oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus; ne in utroque hominibus similis longe esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus; atque ita mediator non esset. (*Cap.* 42.) *Christus quomodo mediator.*

S. AUGUST. Christus Sacerdos & sacrificium. LXX. Pro nobis tibi victor & victima; & ideo victor, quia victima: pro nobis tibi sacerdos & sacrificium; & ideo sacerdos, quia sacrificium; faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, nobis serviendo.) *Cap.* 43.)

In Deo satietas vera. LXXI. Cogito pretium meum, & manduco, & bibo & erogo: & pauper cupio saturari ex eo inter illos, qui edunt & saturantur. (*Ibidem*.)

Scripturæ sacræ deliciæ. LXXII. Sint castæ deliciæ meæ, scripturæ tuæ; non fallar in eis; nec fallam ex eis. (*Lib.* 11. *cap.* 2.)

Vox Dei gaudium. LXXIII. Ecce vox tua, gaudium meum; vox tua super affluentiam voluptatum, da quod amo: amo enim, & tu dedisti: ne bona tua deseras. (*Ibidem*.)

Veritas neminem fallit. LXXIV. Quis falli timet, cum promittit veritas? (*Lib.* 12. *cap.* 1.)

Quando peccet homo. LXXV. Motus voluntatis, a te qui es, ad id quod minus est, peccatum est. (*Cap.* 11.)

Deus amanti se sufficit. LXXVI. Tu Deus, diligenti te quantum præcipis, ostendis te ei, & sufficis ei; & ideo non declinat a te nec ad se. (*Cap.* 15.)

Superbia reprehenditur. LXXVII. O vita pauperum, Deus meus, in cujus sinu non est contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, qui amant sententiam suam, non quia vera est, sed quia sua est. (*Cap.* 25.)

Deus animam præparat. LXXVIII. Invoco te in animam meam, quam præparas ad capiendum te, ex desiderio quod inspiras ei. (*Lib.* 13. *cap.* 1.)

In solo Deo requies. LXXIX. Nullo modo sufficit ad beatam requiem quidquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi. (*Cap.* 8.)

Amor Dei semper crescit. LXXX. Da mihi te, Deus meus, redde mihi; te enim amo; & si parum est, amem validius: non possum metiri quantum desit mihi amoris, ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur. (*Ibidem*.)

Extra Deum egestas. LXXXI. Male mihi est præter te; non solum extra me, sed & in meipso: & omnis mihi copia, quæ Deus non est, egestas est. (*Ibidem*.)

Amor pondus animæ. LXXXII. Pondus meum, amor meus; eo feror, quocumque feror: dono tuo accendimur, & sursum ferimur. (*Cap.* 9.)

Dati & fructus distinctio. LXXXIII. Didici a te, Deus meus, inter *datum* & *fructum* discernere: *datum* est res ipsa quæ datur; *fructus* autem bona & recta voluntas datoris est. (*Cap.* 26.)

Ex Libris de libero arbitrio.

LXXXIV. Quid tam opus habens misericordiæ, quam miser? & quid tam indignum misericordia, quam superbus miser? (*Lib.* 3. *cap.* 4.) Contra superbos.

De vera Religione.

LXXXV. Nullum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea, quæ ille contempſit, aut fugiuntur quæ ille ſuſtinuit. (*Cap.* 16.) Peccatum quale.

LXXXVI. Tota vita Chriſti in terris, per hominem quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit. (*Ibidem.*) Vita Christi diſciplina.

LXXXVII. Myſteriorum expoſitio ad ea dirigitur quæ apertiſſime dicta ſunt. (*Cap.* 17.) Myſteriorum directio.

LXXXVIII. Si ea tantum eſſent quæ facillime intelliguntur, nec ſtudioſe quæreretur, nec ſuaviſſime inveniretur veritas. (*Ibidem.*) Veritas ſcrutanda.

LXXXIX. Pietas timore inchoatur, charitate perficitur. (*Ibidem.*) Pietas.

XC. Si creatura diligatur ab anima quæ negligit Deum, fit pœnalis dilectori ſuo, & eum implicat ærumnis, & paſcit fallacibus voluptatibus; quia neque permanet, neque ſatiat, ſed torquet doloribus. (*Cap.* 20.) Dilectio creaturæ pœnalis.

XCI. Nihil juſtum diſplicet juſto. (*Cap.* 22.) Juſtum justo placet.

XCII. Neque authoritatem ratio penitus deſerit, cum conſideratur cui ſit credendum. (*Cap.* 24.) Auctoritati fides habenda.

XCIII. Unum quærimus, quo ſimplicius nihil eſt: ergo in ſimplicitate cordis quæramus illum. (*Cap.* 35.) Simplicitas cordis.

XCIV. Plerumque cum bona mutabilia adſunt nobis, putamus quod non ea diligamus: ſed cum abeſſe cœperint, invenimus qui ſimus. Hoc enim ſine amore noſtro aderat, quod ſine dolore diſcedit. (*Cap.* 47.) Quod amatur sine dolore non deſeritur.

XCV. Quies eſt abſtinere ab his rebus, ſine quibus agi hæc vita poteſt, & ita guſtare *quam ſuavis eſt Dominus*. (*Cap.* 53.) Quies vera in Deo.

XCVI. Hoc dabit eis, qui in cognitione ſolam veritatem amant, & in actione ſolam pacem, & in corpore ſolam ſanitatem. (*Ibidem.*) Quid quærendum.

S. AUGUST.

De moribus Ecclesiæ Catholicæ.

Quis beatus. XCVII. Beatus neque ille dici potest qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. (*Cap.* 3.)

Quis infelix. XCVIII. Qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur; qui adeptus est, quod appetendum non est, fallitur; & qui non appetit, quod adipiscendum esset, ægrotat. (*Ibidem.*)

Modus diligendi Deum. XCIX. *Diliges Dominum Deum tuum.* Dic mihi etiam quæso te, quis sit diligendi modus; vereor enim ne plus, minusve quam oportet, inflammer desiderio & amore Domini mei: *Ex toto*, inquit, *corde tuo.* Non est satis: *ex tota anima tua*; ne id quidem satis est: *ex tota mente tua.* Quid vis amplius? vellem fortasse, si viderem quid posset esse amplius. (*Cap.* 8.)

Terrena spernenda. C. Fit per charitatem ut conformemur Deo, & ex eo conformati, ac configurati & circumcisi ab hoc mundo, non confundamur cum iis quæ nobis debent esse subjecta. (*Cap.* 13.)

Amor Dei ducit ad vitam. CI. Virtus, quæ ab beatam vitam nos ducit, nihil omnino est, nisi summus amor Dei. (*Cap.* 15.)

Omnes virtutes pervadit. CII. Dicamus temperantiam esse amorem Deo se se integrum incorruptumque servantem: fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem: justitiam amorem Deo tantum servientem, & ob hoc bene imperantem cæteris quæ homini subjecta sunt: prudentiam, amorem bene discernentem ea, quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest. (*Ibidem.*)

Idem. CIII. Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo, quod revelatum fuerit, permanetur. (*Cap.* 17.)

Idem. CIV. Amandus est solus Deus, omnis vero iste mundus, id est omnia sensibilia contemnenda, utendum autem his ad vitæ necessitatem. (*Cap.* 20.)

Temperantia in quo sita sit. CV. Vitæ regula est in utroque testamento firmata, ut vir temperans nihil eorum diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, utentis modestia, non amantis affectu. (*Cap.* 21.)

Idem. CVI. Multo mirabilius est, non inhærere istis, quamvis possideas; quam omnino eas non possidere. (*Cap.* 23.)

Bene vivere est Deum diligere. CVII. Nihil est aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere. (*Cap.* 25.)

Idem. CVIII. Incorruptus in Deo amor atque integer custodiatur, quod est temperantiæ; nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis: nulli alii serviat, quod est justitiæ: vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusque subrepat, quod est prudentiæ. (*Ibidem.*)

CIX.

CIX. Nihil in Ecclesia Catholica salubrius sit, quam ut rationem præcedat authoritas. (*Ibidem.*) S. AUGUST. Authoritas in Ecclesia præferenda.

CX. Solus se novit diligere, qui Deum diligit. (*Cap.* 26.) Amor Dei.

CXI. Ne se quisquam credat, contempto proximo, ad beatitudinem, & ad Deum, quem diligit, esse venturum. (*Ibidem.*) Amor proximi.

CXII. Si charitas absit, inania; si hæc adsit, plena sunt omnia. (*Cap.* 33.) Charitas.

De moribus Manichæorum.

CXIII. Concupiscentiæ coercendæ gratia, non vitandæ immunditiæ, quæ nulla est, deliciosas escas respuendas judicamus. (*Cap.* 16.) Deliciosæ escæ vitandæ.

De Genesi contra Manichæos.

CXIV. Si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo (*Lib.* 1. *cap.* 2.) Voluntas Dei quomodo agnoscenda.

CXV. Quid est aliud superbia, nisi deserto secreto conscientiæ, foris videri velle quod non est? (*Lib. cap.* 5.) Contra superbiam.

CXVI. Mater est omnium hæreticorum superbia. (*Cap.* 8.) Idem.

Ex Epistolis.

CXVII. Tanta latet in Scriptura altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem dicit: *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* (*Epist.* 3. *Volus.*) Scripturæ altitudo.

CXVIII. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis. (*Ibidem.*) Potentia Dei.

CXIX. Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa persona mixtura est animæ & corporis; in hac persona mixtura est Dei & hominis. (*Ibidem.*) Christus Deus & homo.

CXX. Vita bona & honesta non aliunde formatur, quam cum ea quæ diligenda sunt, diligantur, hoc est, Deus & proximus. (*Ibidem.*) Vita bona qualis.

CXXI. Nihil Deus jubet, quod sibi prosit, sed ei cui jubet. (*Epist.* 5. *Marcellino.*) Mandata Dei nobis utilia.

CXXII. Præcepta patientiæ magis ad præparationem cordis, Patientia qualiter exercenda.

[redacted] quæ intus eſt, pertinent, quam ad opus quod in aperto fit, ut te-
S. AUGUST. neatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia; in manifeſto autem id fiat quod eis videtur prodeſſe poſſe; quibus bene velle debemus. (*Ibidem*.)

Patriæ cæleſtis bona. CXXIII. Civitatis cæleſtis rex eſt veritas; lex, charitas; modus, æternitas. (*Ibidem*.)

Noſtros per mortem non amittimus. CXXIV. Speramus nos de hac vita, unde migraturi quoſdam noſtros migrantes non amiſimus, ſed præmiſimus; ad eam vitam eſſe venturos, ubi nobis erunt quanto notiores, tanto utique chariores, & ſine timore ullius diſceſſionis amabiles. (*Epiſt. 6. Italicæ*.)

Ratio contra divinam Scripturam fallit. CXXV. Si ratio contra divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt. (*Epiſt. 7. Marcellino*.)

Idem. CXXVI. Si manifeſtiſſimæ certæque rationi, velut ſcripturarum ſanctarum objicitur authoritas, non intelligit qui hoc facit: & non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius objicit veritati. (*Ibidem*.)

Correctio fraterna. CXXVII. Petrus rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quæ non dedignarentur, ſicubi forte recti tramitem reliquiſſent, etiam a poſterioribus corrigi, quam Paulus; confidenter auderent etiam minores majoribus, pro defendenda Evangelica veritate, ſalva fraterna charitate reſiſtere. (*Epiſt. 19. Hieronymo*.)

Idem. CXXVIII. Eſt laus juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro. (*Ibidem*.)

Vincula hujus mundi gravia. CXXIX. Vincula hujus mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miſeriæ, ſpem beatudinis inanem. (*Epiſt. 39. Licentio*.)

Vita noſtra ſemper miſera. CXXX. Vita miſera etiam ſi poſſet eſſe perpetua, nullo modo beatæ vitæ, etiam breviſſimæ comparanda eſt: tamen homines amando miſerrimam atque breviſſimam; tum in hac ipſa quam male diligunt, hoc velint, quod in altera perdunt. (*Epiſt. 45. Armament*.)

Vita juſta ſine labore acquiritur. CXXXI. Juſta vita cum volumus adeſt; quia eam ipſam plene velle, juſtitia eſt. Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt. (*Ibidem*.)

In cælo omnia bona. CXXXII. Divitiæ ſi diliguntur, ibi ſerventur ubi perire non poſſunt: honor ſi diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur: ſalus ſi diligitur, ibi adipiſcenda deſideretur, ubi adepta nihil timetur: vita ſi diligitur, ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur. (*Ibidem*.)

Felix neceſſitas qualis. CXXXIII. Felix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit. (*Ibidem*.)

Gratia cum libero arbitrio. CXXXIV. Si non eſt Dei gratia, quomodo ſalvat mundum? & ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum? (*Epiſt. 46. Valentino*.)

CXXXV.

CXXXV. Non omnis qui parcit amicus est; nec omnis qui verberat, inimicus: & melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. (*Epist.* 48. *Vinc.*)

Verus amicus quis.

CXXXVI. Qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. (*Ibidem.*)

Idem.

CXXXVII. Quis nos amplius potest amare quam Deus? & tamen nos non solum docere suaviter, verum etiam salubriter terrere non cessat. (*Ibidem.*)

Deus salubriter terret.

CXXXVIII. Tres cruces in uno loco erant: in una latro liberandus; in alia latro damnandus; in media Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus: quid similius istis crucibus? quid dissimilius istis pendentibus? (*Ibidem.*)

Crux Christi.

CXXXIX. Fideles sancti & boni, & in comparatione plurimorum malorum pauci sunt, & per se ipsi multi sunt. (*Ibidem.*)

Pauci salvantur.

CXL. Quia peccator æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inveniet severitatem. (*Epist.* 49. *ad Deogratias.*)

Pœnarum æternitas.

CXLI. Reges *Domino serviunt in timore*, ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo. (*Ibidem.*)

Reges justi quinam.

CXLII. Aliter servit Domino quia homo est, aliter quia etiam rex est: quia homo est, servit vivendo fideliter: quia verò etiam rex est, servit, leges justa ferendo præcipientes, & contraria prohibentes, vigore convenienti sæviendo. (*Ibidem.*)

Idem.

CXLIII. Bona Ecclesiæ non sunt nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus. (*Ibidem.*)

Bona Ecclesiæ sunt pauperum.

CXLIV. Christus non justificat nisi corpus suum, quod est Ecclesia. (*Ibidem.*)

Ecclesia Corpus Christi.

CXLV. Deus punit pauca in hoc sæculo, ne divina providentia non esse credatur, & multa servat ultimo examini, ut futurum judicium commendetur. (*Epist.* 54. *Macedonio.*)

Providentia Dei.

CXLVI. Sicut est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens. (*Ibidem.*)

Misericordia crudelis quænam.

CXLVII. Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. (*Ibidem.*)

Restitutio facienda.

CXLVIII. Juste dicitur Advocato: redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti. (*Ibidem.*)

Idem.

CXLIX. Nisi humilitas omnia quæcumque bene facimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. (*Epist.* 56. *Dioscoro.*)

Superbia bona opera corrumpit.

CL.

S. AUGUST. — CL. Vitia cætera in peccatis, superbia vero etiam in recte factis timenda est; ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. (*Ibidem.*)

Idem.

Deus ubique præsens. CLI. Ubique est Deus per divinitatis præsentiam; sed non ubique per inhabitationis gratiam. (*Epist.* 57. *Dardano.*)

Votum nostrum maximum. CLII. Voventur omnia quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio; quo Sacramento prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros. (*Epist.* 59. *Paulino.*)

Martyres non facit pœna. CLIII. Non possunt habere martyrum mortem, qui christianorum non habent vitam: cum martyrem non faciat pœna, sed causa. (*Epist.* 61. *Dulcitio.*)

Quis bonus Pastor. CLIV. Pastor seipsum præbeat patientiæ & humilitatis exemplum; ab eis qui se honorant nec totum, nec nihil accipiendo; & id quod accipitur laudis & honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, & humana contemnere; sed propter illos accipere quibus consulere non potest, si nimia dejectione vilescat. (*Ep.* 62. *Cælestino.*)

Incerta mundi. CLV. Incerta hujus mundi, certum consilium habere non possunt. (*Ibidem.*)

Bona terrena quomodo dantur a Deo. CLVI. Ne bona temporalia putentur mala, dantur & bonis; ne putentur magna vel summa bona, dantur & malis: itemque auferuntur illa & bonis ut probentur, & malis ut crucientur. (*Ibidem.*)

Non sunt diligenda. CLVII. Bona terrena noli diligere, quantalibet tibi abundent, sed sic eis utere ut bona multa ex illis, nullum autem malum facias propter illa. (*Ibidem.*)

Facile pereunt. CLVIII. Omnia bona temporalia peribunt, sed bona opera non pereunt, etiam quæ de bonis pereuntibus fiunt. (*Ibidem.*)

Expectatio adventus Dei. CLIX. Ille diligit adventum Domini, qui eum sive prope, sive longe sit, sinceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis expectat. (*Epist.* 80. *Hesychio.*)

Vana hujus sæculi contemnenda. CLX. Si vana sæculi hujus inexperta concupisti, experta contemnas. Fallax est enim in eis suavitas & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas. Initium sine prudentia, & finis cum pœnitentia. (*Epist.* 82. *Largo.*)

Quid tenendum in obscuris. CLXI. In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina scriptura, nos populi Dei, vel instituta majorum, pro lege tenenda sunt. (*Epist.* 86. *Casulano.*)

Omnia a Deo sunt. CLXII. Quid non misericorditer a Deo præstatur hominibus, a quo etiam tribulatio, beneficium est? nam res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est admonentis Dei. (*Epist.* 87. *Felicitati & Rustico.*)

Venia peccatorum speranda. CLXIII. Qui gratia Dei adjutus se ab eis peccatis abstinuerit, quæ crimina vocantur; atque illa peccata sine quibus non hic vivitur, mundare operibus misericordiæ, & piis orationibus non neglexerit,

xerit, merebitur hinc exire sine peccato, quamvis cum hic viveret, habuerit nonnulla peccata: quia sicut illa non defuerunt, ita etiam remedia, quibus purgarentur, affuerunt. (*Epist.* 89. *Hilario.*)

CLXIV. Animus velut pondere, amore fertur, quocumque fertur: jubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis; donec illud consummatur, hoc perficiatur. (*Ibidem.*)

Pondus animi duplex.

CLXV. Deus nos adjuvabit, si non de nobis præsumentes, *alta sapiamus*; sed *humilibus consentientes*, & de iis quæ jam possumus gratias agamus, & pro iis quæ nondum possumus, Deum suppliciter inhiante voluntate poscamus: adminiculantes orationem nostram misericordiæ fructuosis operibus. (*Ibidem.*)

Humiles exaudiuntur.

CLXVI. Nulla ne sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non fuerunt. (*Epist. Sixto* 105.)

Justitia tota a Deo est.

CLXVII. Etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur. (*Ibid.*)

Oratio gratiæ donum.

CLXVIII. Cur illum potius quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium. (*Ibidem.*)

Dei judicia non scrutanda.

CLXIX. Laudet misericordiam qui liberatur; non culpet judicium qui punitur: hic si dixerimus, quanto melius ambo liberarentur; nihil nobis convenientius dicetur, quam, *o homo, tu quis es qui respondeas Deo?* (*Epist.* 106. *Bonifacio.*)

Idem.

CLXX. Quid debet esse jucundius, vel infirmis, gratia qua sanantur; vel pigris, gratia qua excitantur; vel valentibus, gratia qua adjuvantur? (*Ibid.*)

Necessitas gratiæ Dei.

CLXXI. Utile est pene omnibus propter humilitatem saluberrimam, ut quales futuri sint, scire non possint. (*Epist.* 107. *Vitali.*)

Utilitas ignorantiæ.

CLXXII. Est etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium pene quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes; *dimitte nobis debita nostra*; id est peccata quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt; quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. (*Epist.* 108. *Seleucianæ.*)

Peccata venialia vitanda.

CLXXIII. Monachæ magis studeant, non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum sororum societate gloriari. (*Epist.* 109. *regula monacharum.*)

De divitiis non gloriandum.

CLXXIV. Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant; superbia vero bonis operibus insidiatur, ut pereant. (*Ibid.*)

Superbia insidiosa.

CLXXV. Qui didicerunt a Domino *mites* esse & *humiles corde*, plus cogitando, & orando proficiunt, quam legendo, & audiendo. (*Epist.* 112. *Paulinæ.*)

Quomodo mites proficiant.

CLXXVI. Dominus, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni suo jugo

S. AUGUST.

Sacramentorum N. L. decora.

jugo nos subdidit, & sarcinæ levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit. (*Epist.* 118. *Januario.*)

CLXXVII. Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores convincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur societate servandum est. (*Ibid.*)

Mores Ecclesiæ servandi.

CLXXVIII. Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. (*S. Ambrosius.*)

Tempus sumendæ Eucharistiæ.

CLXXIX. Hoc est indigne accipere Eucharistiam, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam: non ut arbitrio suo cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. (*Ibid.*)

Idem.

CLXXX. Neuter eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, sed saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Nam ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna, fastidium. (*Ibid.*)

Jejunium Eucharistiæ præmittendum.

CLXXXI. Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. (*Ibidem.*)

Delectatio in Deo.

CLXXXII. Cum anima Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat. (*Epist.* 119. *Januario.*)

Sabbatum cur sanctificandum.

CLXXXIII. Deus *sanctificavit diem septimum*, & tertio præcepto legis scriptum est de observatione sabbati; non ut in illa vita nos quiescere existimemus, sed ut omnia quæ bene operamur, non habeant intentionem nisi in futuram requiem sempiternam. (*Ibid.*)

Spes gaudium parit.

CXXXIV. Ideo dicitur; *spe gaudentes*, ut cogitantes requiem futuram, cum hilaritate in laboribus operemur. (*Ibid.*)

Christus Caput Ecclesiæ patientis.

CLXXXV. Ecclesia in Christo capite patiebatur, quando pro Ecclesia patiebatur: sicut etiam in Ecclesia patiebatur ipse, quando pro illo Ecclesia patiebatur. (*Epist.* 120. *Honorato.*)

Contra superbiam.

CLXXXVI. Superbia odit consortium; & quantum in ipso est, solus cupit eminere omnis superbus. (*Ibid.*)

Amor laus Dei.

CLXXXVII. Quis veraciter laudat Deum, nisi qui sinceriter amat? (*Ibid.*)

Charitas pellit timorem.

CLXXXVIII. *Perfecta charitas foras mittit timorem* illum servilem, quo, cum se quisque ab opere malo abstinet, pœna terretur, non justitia delectatur. (*Ibid.*)

Idem.

CLXXXIX. Charitas non foras mittit illum timorem, quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam; qua in illa factum est ut eam non peccare delectet; qua timet ne Deus eam deserat, etiamsi nullis dolorum cruciatibus puniat. (*Ibid.*)

Divites communicantes quid accipiant.

CXC. Divites ad mensam Christi accipiunt de corpore & sanguine

guine

guine ejus; sed adorant tantum, non etiam saturantur, quia non imitantur: manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes; tumore, non magnitudine; infirmitate, non sanitate. (*Ibidem.*) S. AUGUST.

CXCI. Tunc recte, tunc juste, tunc pie fit opus bonum, cum in ejus laudem fit, cujus gratia donatur, ut fiat. (*Ibid.*) Opus quando rectum & bonum.

CXCII. Quod majus esse oportet negotium viduitatis, quam persistere in oratione nocte ac die? (*Epist.* 121. *Probæ.*) Viduitatis negotium.

CXCIII. Non sunt in bonis temporalibus vera solatia, sed ibi potius ubi vera vita. (*Ibid.*) Ubi vera solatia.

CXCIV. Desolatam se debet anima christiana putare, ne desistat orare. (*Ibid.*) In desolatione orandum.

CXCV. Non tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat. (*Ibid.*) Non omnis adeptio utilis.

CXCVI. Non in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur. (*Ibid.*) Temporis utilitas.

CXCVII. In ipsa fide, & spe, & charitate, continuato desiderio, semper oramus. (*Ibid.*) Quomodo semper orandum.

CXCVIII. *Sine intermissione orare*, quid est aliud, quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? (*Ibid.*) Idem.

CXCIX. Ideo ab aliis curis & negotiis, quibus desiderium vitæ æternæ quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus; verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur. (*Ibid.*) Idem.

CC. Cum diu orare vacat, id est, cum alia bonarum necessariarum actionum non impediuntur officia, quamvis & in eis desiderio semper orandum sit, non est improbum nec inutile. (*Ibidem.*) Idem.

CCI. Multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis verbis agere: multum autem precari, est ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. (*Ibid.*) Idem.

CCII. Nobis verba necessaria sunt quibus commoneamur & inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum seu docendum, seu flectendum credamus. Quisquis dicit quod ad istam Evangelicam precem pertinere non possit, etiam si non illicite orat, carnaliter orat: quod nescio quemadmodum non dicatur illicite; quandoquidem spiritu renatos non nisi spiritaliter decet orare. (*Ibid.*) Oratio dominica regula petendorum.

CCIII. Si per omnia precationum sanctarum verba discurras, nihil invenies, quod non ista Dominica contineat & concludat oratio. Unde liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere; sed non debet esse liberum alia dicere. (*Ibid.*) Idem.

CCIV.

S. August.

Quid adjuvet orationem. CCIV. Jejunia & ab aliis voluptatibus, sine salutis neglectu, carnalis concupiscentiæ refrænatio, maximeque eleemosynæ, multum adjuvant orationem. (*Ibid.*)

Preces aliquando non exaudiuntur. CCV. Si aliquid contra quam oramus, acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minime dubitare debemus. (*Ibid.*)

Ad Deum confugiendum in angustiis. CCVI. Si se omnis anima intelligat in hoc sæculo destitutam & desolatam quandiu peregrinatur a Domino, profecto quandam viduitatem suam Deo defensori, assidua & impensissima deprecatione commendat. (*Ibid.*)

Faciendum quod possumus. CCVII. Faciat quæque vestrum quod poterit: quod altera minus potest, in ea quæ potest facit, si in altera diligit, quod ideo quia non potest, ipsa non facit. (*Ibid.*)

Prudens consilium. CCVIII. Quæ minus valet, non impediat plus valentem; & quæ plus valet, non urgeat minus valentem. (*Ibid.*)

Integritas castitatis in mente. CCIX. Tantum in mente valet integritas castitatis, ut illa inviolata, nec in corpore possit pudicitia violari, cujus membra potuerunt superari. (*Epist.* 122. *Victoriano.*)

Magister interior. CCX. Ille nos docet, quia est interioris hominis magister interior; & qui in corde nostro nobis ostendit verum esse quod dicitur. (*Epist.* 132. *Florentiæ.*)

Quæ mors timenda. CCXI. Si mors sic timetur, quæ finit temporalem laborem; quomodo timenda est, quæ mittit in æternum dolorem? (*Epist.* 158. *Populo Hipponensi.*)

Mundus blandus cavendus. CCXII. Mundus ille periculosior est blandus quam molestus; & magis cavendus, cum se illicit diligi, quam cum admonet cogitque contemni. (*Epist.* 144. *Anastasio.*)

Timor mundanus inutilis. CCXIII. Quomodo coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahat quod timetur? ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. (*Ibid.*)

Timor castus. CCXIV. Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere; ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit; & ipse est *timor castus permanens in sæculum sæculi.* (*Ibid.*)

Beata miseria qualis. CCXV. Pia est ista tristitia, & si dici potest beata miseria, vitiis alienis tribulari, non implicari; mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi. (*Epist.* 145. *Sebastiano.*)

Dignitates fugiendæ. CCXVI. Nihil est in hac vita facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. (*Epist.* 148. *Valerio.*)

Consilia bona in Scripturis. CCXVII. Non dubitandum est in sanctis libris conscripta esse consilia, quibus cognitis & apprehensis, possit homo Dei rebus Ecclesiasticis ordinatioribus ministrare; aut certe inter manus iniquorum vel vivere conscientia saniore, vel mori, ut illa vita non amit-

amittatur; cui uni christiana corda humilia & mansueta suspirant. (*Ibid.*) S. AUGUST.

CCXVIII. Quisquis ab Ecclesia catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed *ira Dei manet super eum*. (*Epist.* 152. *Donatistis*.) In sola vera Ecclesia salus.

CCXIX. Eadem est fides, & nostra, & antiquorum justorum; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. (*Epist.* 157. *Optato*.) Una Fides.

CCXX. Ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & aperte divina scriptura non subvenit, temere hic aliquid definire humana conjectura præsumit. (*Ibid.*) Temeritas vitanda.

CCXXI. Major liber noster, orbis terrarum est; in eo lego completum, quod in libro Dei lego promissum. (*Epist.* 162. *Donatistis*.) Mundus liber legendus.

CCXXII. Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur. (*Epist.* 205. *Bonifacio*.) Fides & hosti servanda.

CCXXIII. Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas; ut liberet Deus a necessitate, & conservet in pace: non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. (*Ibid.*) Pax quærenda.

CCXXIV. Animum virilem & christianum, nec debent divitiæ si accedunt extollere, nec frangere si recedunt. (*Ibid.*) Divitiarum usus.

CCXXV. Longe gloriosius est, Episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse; quam propter regenda gubernacula suscepisse. (*Epist.* 238. *Castorio*.) Dignitates periculosæ.

CCXXVI. Sive quia pericula in quibus quisque versatur, graviora sunt, quam inexperta; sive quia revera ita est; quælibet pusillanimitas, tempestasque deserti, minus mihi videtur molesta, quam ea quæ vel patimur, vel timemus in turbis. (*Epist.* 250. *Paulino*.) Turba fugienda.

CCXXVII. Novi concupiscentias carnales esse frænandas; tantumque remittendum in delectationes sensuum corporalium, quantum sustentandæ hujusmodi agendæque vitæ satis est. (*Ibid.*) Concupiscentia frænanda.

CCXXVIII. Præponenda sunt nobis spiritualia carnalibus, incommutabilia mutabilibus, & hæc omnia tanto magis, minusve, hominem posse, quanto magis, minusve adjuvatur gratia Dei. Cur autem ille sic, ille autem sic adjuvetur, vel non adjuvetur, nescio: id tamen Deum summa sibique nota æquitate facere, scio. (*Ibidem*.) Summa Dei æquitas.

CCXXIX. Sæpe vita præsens etiam bonorum, Dei judicio malis eripienda permissa est, ne talia perpeti putaretur malum: mori quippe in carne quid obest morituris? Aut quid agunt qui mori timent, nisi ut paulo posterius moriantur? (*Epist.* 259. *Cæciliano*.) Mors non timenda a justis.

De

[redacted]

S. AUGUST.

De Doctrina Christiana.

Quomodo proximus diligendus.

CCXXX. Si teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum, ubi delectionis tuæ rectissimus finis est; non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis: hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: *Diliges proximum sicut teipsum.* (*Cap.* 22.)

Solo Deo fruendum.

CCXXXI. Cum Scriptura dicit, *diliges Deum toto corde, tota anima, tota mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui: sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. (*Ibid.*)

Christus via veritas vita.

CCXXXII. Christus ait: *Ego sum via, veritas & vita*; hoc est, per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. (*Cap.* 34.)

Bona æterna satiant animam.

CCXXXIII. Inter temporalia & æterna hoc interest, quod temporale aliquid plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum advenerit, non enim satiat animam, cui vera & certa sedes est æternitas: æternum autem ardentius diligitur adeptum, quam desideratum; quia quantum quisque veniens existimare potuerit, plus perveniens inventurus est. (*Cap.* 38.)

Apostolica disciplina suavis.

CCXXXIV. Quædam pauca pro multis, eadem factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus apostolica tradidit disciplina. (*Lib.* 3. *cap.* 9.)

Charitas & cupiditas.

CCXXXV. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, & proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum. (*Cap.* 10.)

Idem.

CCXXXVI. Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. (*Cap.* 18.)

Superbis Deus resistit.

CCXXXVII. Nulla fere pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*Cap.* 23.)

De Fide, Spe, & Charitate.

Fides, Spes, Amor jungenda.

CCXXXVIII. Sine amore fides nihil prodest: sed nec amor sine spe est, nec sine amore spes; nec utrumque sine fide. (*Cap.* 8.)

Deus ex malo bonum elicit.

CCXXXIX. Deus nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo. (*Cap.* 11.)

Quando quis nescit.

CCXL. Non est consequens, ut erret quisquis aliquid nescit; sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod est proprium erroris. (*Cap.* 17.)

CCXLI.

CCXLI. Magis facienti, quam patienti, obest omne peccatum. (*Ibid.*) S. AUGUST. Peccatum nocet peccanti.

CCXLII. Mihi videtur peccatum esse quidem omne mendacium. (*Cap.* 18.) Mendacium semper peccatum.

CCXLIII. Omnis qui mentitur, contra id quod animo sentit, loquitur, voluntate fallendi. (*Cap.* 22.) Quid sit mentiri.

CCXLIV. Cum verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat; verbis uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. (*Ibid.*) Idem.

CCXLV. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo: possumus enim aliquando & furando alicui prodesse, si pauper cui palam datur sentit commodum, & dives cui clam tollitur non sentit incommodum. (*Ibid.*) Idem.

CCXLVI. Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnumquam pro salute quorundam mentimur: peccatum ergo est, sed veniale, quod benevolentia excusat, & ideo fallacia damnat. (*Ibid.*) Idem.

CCXLVII. Deus melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. (*Cap.* 27.) Cur Deus mala permittat.

CCXLVIII. Nolentem prævenit ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. (*Cap.* 32.) Gratia prævenit & comitatur.

CCXLIX. De criminibus quamlibet magnis remittendis in Ecclesia Dei, non est desperanda misericordia, agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. (*Cap.* 65.) De peccatis speranda venia.

CCL. Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. (*Cap.* 68.) Amor causa doloris.

CCLI. Incredibile non est, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve pereuntia bona dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari. (*Cap.* 69.) Ignis purgatorii.

CCLII. De quotidianis brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit, *Pater noster, &c.* delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata: delet & illa, a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius commutata, discedit; si quemadmodum veraciter dicitur: *dimitte nobis debita nostra*, ita veraciter dicatur: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: id est si fiat quod dicitur, quia & eleemosyna est ignoscere. (*Cap.* 71.) Oratio dominica delet peccata.

CCLIII. Ad omnia quæ utili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait: *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Non solum autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel Opera misericordiæ.

[redacted] incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, S. AUGUST. cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti: verum etiam & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat; & qui emendat verbere in quem potestas datur. (*Cap.* 62.)

Quænam levia & gravia peccata. CCLIV. Quæ sunt levia, & quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. (*Cap.* 76.)

Consuetudo peccandi. CCLV. Peccata quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur. (*Cap.* 8c.)

Peccatorum causæ. CCLVI. Duabus ex causis peccamus; aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus: quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Ideo rogandus est, cui dicitur in psalmo: *Dominus illuminatio mea & salus mea*: ut illuminatio detrahat ignorantiam, & salus infirmitatem. (*Cap.* 81.)

Misericordia indebita. CCLVII. Nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, & nisi per debitum judicium nemo damnatur. (*Cap.* 94.)

Voluntas Dei in omnibus fit. CCLVIII. Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit; vel sinendo ut fiat, vel etiam faciendo. (*Cap.* 95.)

Efficacia gratiæ. CCLIX. Quis tam impie despiciat ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? sed cum facit, misericordia facit; cum autem non facit, judicio non facit: quoniam *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. (*Cap.* 98.)

Mali Dei voluntatem implent. CCLX. Deus quasdam voluntates suas, utique bonas, implet per malorum hominum voluntates malas: sicut per Judæos malevolos bona voluntate Patris Christus pro nobis occisus est. (*Cap.* 101.)

Suffragia defunctis prosunt. CCLXI. Negandum non est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt: sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. (*Cap.* 110.)

Idem. CCLXII. Est quidam vivendi modus, nec tam bonus ut nos requirat ista post mortem, nec tam malus ut ei non prosint ista post mortem: est vero talis in bono, ut ista non requirat; & est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adjuvari. (*Ibid.*)

Ex libris de Trinitate.

Sacrificium Christi. CCLXIII. Quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio; cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo manebat, cui offerebat; unum in se faciebat, pro quibus offerebat, & quod offerebat. (*Lib.* 4. *Cap.* 14.)

CCLXIV.

CCLXIV. Verius cogitatur Deus, quam dicitur; & verius est, quam cogitatur. (*Lib.* 7. *cap.* 4.) S. August. Deus verus.

CCLXV. Nisi nunc jam diligamus Deum; nunquam videbimus.... nam nisi per fidem diligatur, non poterit cor mundari, quo ad eum videndum sit aptum & idoneum (*Lib.* 8. *c.* 4.) Visio Dei.

CCLXVI. De credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus: in illis authoritas tenenda est, in his veritas exquirenda. (*Lib.* 9. *cap.* 1.) In credendis auctoritas tenenda.

CCLXVII. Non dicitur quod non sit amanda creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit. (*Cap.* 8.) Creaturæ amor ad Deum referendus.

CCLXVIII. Cum sola cogitatione mens oblectatur illicita, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & audiens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui deberent, negandum non est esse peccatum: sed longe minus, quam si & opere statuatur implendum: & ideo de talibus cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, ac dicendum: *dimitte nobis debita nostra.* (*Lib.* 12. *cap.* 12.) Cogitationis vera peccata.

CCLXIX. Miser est, qui vel non habet quod vult, vel id habet quod recte non vult: beatus igitur non est, nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult male. (*Cap.* 5.) Quis miser, quis beatus.

CCLXX. In æterna felicitate, quidquid amabitur, aderit; nec desiderabitur, quod non aderit: omne quod ibi erit, bonum erit; & summus Deus summum bonum erit; atque ad fruendum amantibus præsto erit; & quod est omnino beatissimum, ita semper fore, certum erit. (*Cap.* 7.) Beatorum felicitas.

CCLXXI. Non alius modus possibilis Deo defuit; cujus potestati cuncta æqualiter subjacent, sanandæ nostræ miseriæ; sed convenientior modus alius non fuit, nec esse oportuit. (*Cap.* 10.) Incarnatio conveniens.

CCLXXII. Ea quæ dicuntur merita nostra, dona sunt ejus. (*Ibid.*) Merita nostra dona Dei.

CCLXXIII. Deo deserente peccantem, peccati author illico invadit. *Cap.* 12.) Miseria peccantis.

CCLXXIV. Prosunt mala quæ fideles pie perferunt, vel ad emendanda peccata, vel ad excercendam probandamque justitiam, vel ad demonstrandam hujus vitæ miseriam; ut illa ubi erit beatitudo vera atque perpetua, & desideretur ardentius, & instantius inquiratur. (*Cap.* 16.) Tribulatio utilis.

CCLXXV. Prima curatio hominis, est caussam removere languoris, quod per indulgentiam fit omnium peccatorum; secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis. (*Lib.* 14. *cap.* 17.) Conversio peccantis.

CCLXXVI. In quo profectu & accessu, tenentem mediatoris fidem, cum dies vitæ hujus ultimus quemque compererit, perducendus ad Deum quem colit, & ab eo perficiendus, excipietur ab Felicitas justi in morte.

S. AUGUST. Angelis sanctis, incorruptibile corpus in fine sæculi non ad pœnam, sed ad gloriam recepturus. (*Ibid.*)

Visio Dei. CCLXXVII. In hac imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio. (*Ibid.*)

Charitas distinguit filios. CCLXXVIII. Nullum est Dei donum dono dilectionis excellentius: solum est quod dividit filios regni æterni, a filiis perditionis æternæ. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, ut eum Dei & proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram. (*Lib.* 15. *cap.* 18.)

Christus est Deus. CCLXXIX. Quomodo Deus non est Christus, qui dat Spiritum sanctum? imo quantus Deus est, qui dat Deum? (*Cap.* 26.)

Petitio. CCLXXX. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrum. (*Cap.* 28.)

De Genesi ad Litteram.

Deo servire utile nobis. CCLXXXI. Deus servitute nostra non indiget, nos vero dominatione illius indigemus, ut operetur & custodiat nos: & ideo verus & solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem salutemque serviemus. (*Cap.* 11.)

Idem. CCLXXXII. Non ita sentiendum est, nos illi ad utilitatem nostram salutemque servire, tanquam aliud aliquid ab illo expectemus, quam eum ipsum, qui summa utilitas & salus nostra est; sic enim eum gratis secundum illam vocem diligimus: *mihi adhærere Deo bonum est.* (*Ibid.*)

Bona nuptiarum. CCLXXXIII. Bonum nuptiarum tripartitum est, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur ne propter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur: in prole ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in Sacramento autem ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri conjungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel regitur pravitas. (*Lib.* 9. *cap.* 7.)

CCLXXXIV. Cur Deus creavit eos quos malos futuros esse præsciebat? quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse facturus. (*Lib.* 11. *cap.* 9.)

Dei voluntas non scrutanda. CCXXXV. Deus posset malorum voluntatem in bonum convertere, quia omnipotens est. Posset plane: cur ergo non fecit? quia noluerit. Cur autem noluerit, penes ipsum est. Debemus enim *non plus sapere quam oportet sapere.* (*Cap.* 10.)

Summa felicitas. CCLXXXVI. Una in cælo, & tota virtus est amare quod videas; & summa felicitas habere quod amas. (*Lib.* 12. *cap.* 26.)

De

De Agone Christiano.

CCLXXXVII. Displicet superbis, quod Christus contumelias patientissime pertulit; displicet delicatis, quia cruciatus est; displicet timidis, quia mortuus est. (*Cap.* 11.) Displicentia prava.

CCXXXVIII. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari: nam quæ superbia sanari potest, si humilitate filii Dei non sanatur? quæ avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanatur? quæ iracundia sanari potest, si patientia filii Dei non sanatur? quæ impietas sanari potest, si charitate filii Dei non sanatur? (*Ibid.*) Medicina Dei.

CCLXXXIX. Nolite vos ipsos contemnere viri, filius Dei virum suscepit: nolite vos ipsas contemnere fœminæ, filius Dei natus ex fœmina est. (*Ibid.*) Dignitas naturæ humanæ.

CCXC. Quis de se desperet pro quo tam humilis esse voluit filius Dei? (*Ibid.*) Non desperandum.

CCXCI. Quis beatam vitam esse arbitretur in iis quæ contemnenda esse docuit filius Dei? (*Ibid.*) In quibus beata vita non invenitur.

CCXCII. Quis sibi esse clausum regnum cælorum putet, qui cognoscet publicanos & meretrices imitatos esse filium Dei? (*Ibid.*) Cælum apertum.

CCXCIII. Multum errant, quoniam superbi sunt; & non possunt discere, quia nolunt credere. (*Cap.* 15.) Superbia sidem impedit.

De Spiritu, & Littera.

CCXCIV. Quis est spiritus mundi hujus, nisi superbiæ spiritus? (*Cap.* 13.) Idem.

CCXCV. Lex data est, ut gratia quæreretur; gratia data est, ut lex impleretur. (*Cap.* 19.) Lex & gratia.

CCXCVI. Sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. (*Cap.* 28.) Vita æterna.

CCXCVII. Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet; cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur; illi autem non ita; duo sola occurrunt quæ respondere mihi placeat: *o altitudo divitiarum!* &, *nunquid iniquitas apud Deum?* cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptiores. (*Cap.*34.) Altitudo divinorum consiliorum.

CCXCVIII. In perficienda justitia multum in hac vita ille profecit, qui quam longe sit a perfectione justitiæ, proficiendo cognovit. (*Cap.* 36.) Via ad perfectionem.

CCXCIX. Si esse nondum potest homini tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, non jam culpæ deputandum est: quamobrem debet homo & si longe minus amet Deum, quam eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum. (*Ibid.*) Amor Dei.

S. AUGUST.

Ex Libro de mendacio.

In jocis non semper mendacium. CCC. Joca nunquam sunt pura mendacia; habent enim evidentissimam, ex pronunciatione & jocantis affectu, significationem, animi nequaquam fallentis, & si vera non enuntiantis: quo genere sit utendum perfectis animis, alia quaestio est. (*Cap.* 2.)

Mendacium quale. CCCI. Ille mentitur qui aliud habet in animo, & aliud in verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat; unde duplex cor dicitur esse mentientis. (*Cap.* 3.)

Nomquam licitum. CCCII. Cum mentiendo vita aeterna amittatur, nunquam pro cujusquam temporali vita mentiendum est. (*Cap.* 6.)

Idem. CCCIII. Omnia genera mendaciorum odisse debemus: nullum est enim mendacium, quod non sit contrarium veritati. (*Cap.* 3.)

Ex Libro contra mendacium.

Numquam peccandum. CCCIV. Ea quae constat esse peccata, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione, facienda sunt. (*Cap.* 7.)

Sanctorum facta. CCCV. Constat quod non omnia quae a sanctis vel justis viris legimus facta, transferre debemus in mores. (*Cap.* 9.)

Figurae & Parabolae non sunt mendacia. CCCVI. Non mendacia, sed mysteria debemus dicere omnes parabolas, ac figuras significandarum quarumcumque rerum, quae non ad proprietatem accipienda sunt; sed in iis aliud ex alio est intelligendum. (*Ibidem.*)

Idem. CCCVII. Nonnulla quae in divinis scripturis putantur esse mendacia, aut non sunt quod putantur, si recte intelligantur; aut si qua ibi mendacia manifesta sunt, imitanda non sunt. (*Cap.* 11.)

Numquam mentiendum. CCCVIII. Tenendum est in doctrina religionis, nullo modo esse mentiendum. (*Ibidem.*)

CCCIX. Cum nobis opponitur pro aeterna hominis salute esse mentiendum, quo confugiam, nisi ad te, veritas? sed quomodo jubeat veritas ut homo baptizetur esse mentiendum? (*Cap.* 20.)

De Fide, & Operibus.

Poena aeterna. CCCX. Non promittitur poena ignis transitoria, turpiter scelerateque viventibus. (*Cap.* 25.)

Quotidiana peccata. CCCXI. Nisi essent quaedam sine quibus haec vita non agitur, non quotidianam medelam poneret Dominus in oratione quam docuit: *Dimitte nobis debita nostra.* (*Cap.* 26.)

De

De Quæstionibus in vetus Testamentum.

CCCXII. Tentatio, probatio est, non ad peccatum seductio, nec ideo probatio, ut Deus noverit; sed ut ipse ipsis hominibus ostendat, quo humiliores fiant ad petendum adjutorium, & agnoscendam gratiam Dei. (*Quæst.* 58.) Tentatio probatio est.

CCCXIII. Scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. (*Quæst.* 68.) Bonum consilium non contemnendum.

CCCXIV. Nimis intentus humanis actionibus animus, Deo quodammodo vacuatur; quo fit tanto plenior, quanto in superna atque æterna liberius extenditur. (*Ibidem.*) Animus a terrenis vacuus.

CCCXV. Martyrum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui. (*Quæst.* 108.) Martyrum preces prosunt.

CCCXVI. Dominus sanctificat invisibili gratia per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia Sacramenta quid prosunt? nec tamen ideo Sacramentum visibile contemnendum est: nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari nullo modo potest. (*Lib.* 3. *Sup. Lev. Quæst.* 84.) In Sacramentis invisibilis gratia sanctificat.

CCCXVII. Eadem sunt in veteri testamento & in novo: sed ibi adumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata. (*Lib.* 4. *Sup. Num. Quæst.* 33.) Veteris & N. Testamenti concordia.

CCCXVIII. Deus operatur, cooperamur nos; non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium. (*Lib.* 5. *Sup. Deut. Quæst.* 15.) Liberum arbitrium.

CCCXIX. Si charitas, quæ est plenitudo legis Dei, habitet in corde, etiamsi manibus corporis quisquam non possit operari, pax illi est utique cum hominibus bonæ voluntatis. (*Quæst.* 54.) Charitatis efficacia.

De Quæstionibus Evangelicis.

CCCXX. Doctrina Christiana docet generale jejunium, non a concupiscentia ciborum tantum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum. (*Quæst.* 18.) Jejunium quale sit oportet.

De Consensu Evangelistarum.

CCCXXI. Inter omnes divinas authoritates quæ sanctis litteris continentur, Evangelium merito excellit. Quod enim lex & Prophetæ futurum esse prænunciaverunt, hoc redditum atque completum in Evangelio demonstratur. (*Lib.* 1. *cap.* 1.) Dignitas Evangelii.

CCCXXII. Exemplo Mariæ & Joseph magnifice insinuatur, fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu; præsertim, quia nasci eis etiam filius potuit Matrimonium Mar. &c.

S. AUGUST. tuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. (*Lib.* 2. *cap.* 1.)

Diversitas in Evangeliis. CCCXXIII. Diversitas locutionum in Evangelistis, ad hoc utilis est, ne uno modo dictum minus intelligatur, & aliter quam res se habet, interpretetur. (*Cap.* 14.)

Ex Libro de LXXXIII. Quæstionibus.

Exemplum Christi. CCCXXIV. Præstantissimum illud & unicum exemplum Dominici hominis proponendum est; qui cum se tot miraculis tantam rerum potestatem habere monstraret, & ea sprevit quæ magna bona, & ea sustinuit quæ magna mala imperiti putant. (*Quæst.* 36.)

Probatio dilectionis. CCCXXV. Scriptum est: *Tentat vos Deus ut sciat si diligatis eum*, non quasi nesciat Deus, sed ut ipsi sciant quantum in Domini dilectione profecerint, quod nisi tentationibus quæ accidunt, non plene ab hominibus agnoscitur. (*Quæst.* 60.)

Divinæ voluntati non resistendum. CCCXXVI. Anima Christiana semper invigilet in tribulationibus suis sequi voluntatem Domini sui. *Ne ordinationi Dei resistendo, acquirat sibi gravius judicium.* (*Quæst.* 80.)

Ex Libro de Quæstion. ad Simplicianum.

Miseria hominis. CCCXXVII. Homini victo, damnato, captivo, & nec saltem accepta lege victori, sed potius prævaricatori, humiliter exclamandum est: *miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei, &c.* (*Lib.* 1. *Quæst.* 1.)

Efficacia gratiæ. CCCXXVIII. Deus nullius frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. (*Quæst.* 2.)

Judicia Dei inscrutabilia. CCCXXIX. Quia odit Deus iniquitatem, in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimit per justificationem, quemadmodnm ipse judicat esse faciendum, illis judiciis inscrutabilibus. (*Ibidem.*)

Obduratio impiorum quid demonstret. CCCXXX. Obduratio impiorum utrumque demonstrat, & quid timendum sit, ut quisque pietate convertatur ad Deum; & quantæ agendæ sint gratiæ misericordiæ Dei, qui in aliorum pœna, quid aliis donet, ostendit. (*Ibid.*)

Oratio sit fervens. CCCXXXI. Aliquando oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & plane nulla; immo interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus; quia si vel hoc dolemus, jam oramus. (*Ibid.*)

Spiritus orationis sequendus. CCCXXXII. Cum non quæritur, sed infertur appetitus orandi; id est, cum aliquid venit in mentem, quo supplicandi moveatur affectus *gemitibus inenarrabilibus*, quocumque modo invenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quæramus quo secedamus,

aut

aut ubi flemus, aut ubi prosternamur: gignit enim sibi mentis intentio solitudinem. (*Lib.* 2. *Quæst.* 4.) S. AUGUST.

De cura gerenda pro Mortuis.

CCCXXXIII. Non sunt prætermittendæ supplicationes, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque, sub generali commemoratione, suscepit Ecclesia; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi. (*Cap.* 4.) Oratio pro defunctis.

CCCXXXIV. Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pertinere, nisi quod pro eis, sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus: quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed iis tantum, quibus dum vivunt comparatur ut prosint: sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum, prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant pervenire. (*Cap.* 18.) Quibus prosit.

De catechizandis rudibus.

CCCXXXV. Magna miseria, superbus homo; sed major misericordia, humilis Deus. (*Cap.* 4.) Magna miseria & magna misericordia.

CCCXXXVI. Cum eadem omnibus debeatur charitas, non eadem est omnibus adhibenda medicina: ipsa item charitas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiscit offendere; ad alios se inclinat, ad alios se erigit; aliis blanda, aliis severa, aliis inimica, omnibus mater. (*Cap.* 15.) Charitatis vera officia.

CCCXXXVII. Quia veram requiem quæ post hanc vitam promittitur, quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ hujus molestias, suavem jucundamque gustabis, si ejus qui eam promisit, præcepta dilexeris. Cito enim senties dulciores esse fructus justitiæ, quam iniquitatis; & verius ac jocundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. (*Cap.* 16.) Vera requies ubi quærenda.

CCCXXXVIII. Sanctorum qui præcesserunt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita, & conjugia, & filii, & facta, prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem passionis Christi ex gentibus congregatur Ecclesia. (*Cap.* 19.) Prophetia V. T.

CCCXXXIX. Omnia bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, ut contemnenda monstraret; & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat; ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. (*Cap.* 22.) Bona terrena contemnenda.

CCCXL. Homines bonos imitare, malos tolera, omnes ama; quoniam nescis quid cras futurus sit qui hodie malus est. (*Cap.* 27.) Omnes amandi boni & mali.

De

S. AUGUST.

De Continentia.

Bona futuræ vitæ. CCCXLI. Omnipotens Deus qui operatur bona etiam de noſtris malis; qualia dabit bona, cum liberaverit ab omnibus malis? (*Cap. 6.*)

In Chriſto vita. CCCXLII. *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Chriſtus:* ubi enim *non ego*, ibi felicius *ego*. (*Cap. 13.*)

De Patientia.

Tolerantia laborum. CCCXLIII. Vis deſideriorum facit tolerantiam laborum, & dolorum: & nemo niſi pro eo quod delectat, ſponte ſuſcipit ferre quod cruciat. (*Cap. 4.*)

Idem. CCCXLIV. Si tanta ſuffert anima, ut poſſideat unde pereat; quanta debet ſufferre ne pereat? (*Cap. 7.*)

Jobi virtutes. CCCXLV. Adam victus eſt in deliciis; Job vicit in pœnis; conſenſit ille oblectamentis; non ceſſit iſte tormentis; ſed ſuſtinens in carne dolores ſuos, in corde errores alienos, conjugis corripiebat inſipientiam, amicos docebat ſapientiam, ſervabat ubique patientiam. (*Cap. 12.*)

De bono Viduitatis.

Nuptiarum bona. CCCXLVI. Nuptiarum bonum ſemper eſt quidem bonum; ſed in populo Dei, fuit aliquando legis obſequium; nunc eſt infirmitatis remedium, in quibuſdam vere humanitatis ſolatium. (*Cap. 8.*)

Viduæ officia. CCCXLVII. Vidua non eſt laudanda, quia filios habet, ſed quia pie nutrire & educare ſtudet: ut enim illi naſcerentur, fœcunditatis; ut vivant, felicitatis; ut autem ſic inſtituantur, voluntatis eſt: in illis ei homines gratulentur; in hoc eam imitentur. (*Cap. 14.*)

Oratio commendatur. CCCXLVIII. Quidquid hic dedit Deus, ut conſervet, oremus: quod autem nondum dedit, ut expleat, oremus; tamen oremus, & gratias agamus de acceptis; & quod nondum accepimus, eo ipſo quod de acceptis ingrati non ſumus, nos accepturos eſſe fidamus. (*Cap. 16.*)

Chriſtus via, veritas, vita. CCCXLIX. *Ego ſum*, inquit Chriſtus, *via*, *veritas*, & *vita*, currite ad illum, per illum; placete illi, ex illo; vivite cum illo: affectibus veris, & ſanctiſſima caſtitate a viro tali amate amari. (*Cap. 14.*)

Chriſtiani officia. CCCL. Deliciæ ſpiritales deliciis carnalibus in ſancta caſtitate ſuccedant; lectio, oratio, pſalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, ſpes futuri ſæculi, & cor ſurſum, atque de his omnibus gratiarum actio Patri luminum. (*Cap. 21.*)

Jejunia animæ utilia. CCCLI. Jejunia, & vigiliæ, in quantum valetudinem non pertur-

turbant, si orando, psallendo, & in lege Dei meditando sumantur, in delicias spiritales, etiam ipsa quæ videntur laboriosa, vertuntur. (*Ibid.*) S. AUGUST.

CCCLII. Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant; sicut venantium, &c. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur. Et vide quam pudendum & dolendum sit, si delectat labor, ut fera capiatur, ut sacculus impleatur, ut pila jaciatur; & non delectat ut Deus acquiratur. (*Ibid.*) Amanti nihil onerosum.

CCCLIII. Quisquis a criminibus vitam suam custodit, sibi benefacit; quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est; nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. (*Cap.* 22.) Fama servanda.

CCCLIV. Si aliqui de nobis, vel male fingendo, vel male credendo, famam nostram decolorare conantur; adsit conscientiæ solatium, planeque etiam gaudium, quod *merces nostra magna est in cælis*; etiam cum dicunt homines multa mala de nobis, pie tamen justeque viventibus. (*Ibid.*) Infamia injusta toleranda.

De Sermone Domini in Monte.

CCCLV. Iste sermo, omnibus præceptis, quibus Christiana vita informatur, est perfectus. (*Lib.* 1. *cap.* 1.) Sermo perfectus.

CCCLVI. Dominus non tantum dixit, *ut videant bona opera vestra;* sed addidit; *& glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*: ut hoc ipsum quod homo per bona opera placeat hominibus, non ibi finem constituat, sed referat ad laudem Dei; & propterea placeat hominibus, ut in illo glorificetur Deus: hoc enim laudantibus expedit, ut non hominem, sed Deum honorent. (*Cap.* 7.) Bona opera in Dei gloriam dirigenda.

CCCLVII. Ad præparationem cordis, non ad ostensionem operis, hæc præcepta recte intelliguntur. (*Cap.* 19.) Præcepta quædam in præparatione cordis.

CCCLVIII. Si de necessariis hoc imperatum est, quanto magis superflua contemnere convenit? (*Ibid.*) Superflua contemnenda.

CCCLIX. *Omni petenti*, inquit Dominus, *dabis*; sed non omnia petenti, ut id des quod dare juste & honeste potes. (*Cap.* 20.) Quid dandum petentibus.

CCCLX. *Pater noster:* hoc nomine, & charitas excitatur; quid enim charius debet filiis esse, quam pater? & supplex affectus; cum homines dicunt Deo, *Pater noster*: & quædam impetrandi præsumptio quæ petituri sumus; cum prius quam aliud peteremus, tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere: *Pater noster*. Quid enim jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent? postremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit: *Pater noster*, tanto patre non sit indignus? (*Lib.* 2. *cap.* 4.) Deus Pater noster.

CCCLXI. Admonentur hic divites, vel genere nobiles secundum sæcu- Idem.

S. AUGUST. sæculum, non superbire adversus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo, *Pater noster*: quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant. (*Ibid.*)

Tentationum permissio. CCCLXII. Fiunt tentationes per satanam, non potestate ejus, sed permissu Domini, ad homines, aut pro suis peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia probandos & exercendos. (*Cap.* 9.)

Bona intentio. CCCLXIII. Si intentio qua facimus quidquid facimus, munda fuerit & recta, & illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint, (*Cap.* 13.)

Regnum Dei petendum. CCCLXIV. Regnum & justitia Dei, bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus; sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, sunt quædam necessaria, sine quibus vita agi non potest, quæ posterius quærenda sunt, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum; hoc tanquam necessarium nostrum; necessarium autem propter illud bonum. (*Cap.* 16.)

Temeraria judicia vitanda. CCCLXV. *Nolite judicare, ut non judicemini*, &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur: de illis enim temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. (*Cap.* 18.)

Idem. CCCLXVI. Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere judicatur; ei autem qui temere judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. (*Ibid.*)

Objurgatio raro adhibenda. CCCLXVII. Raro & in magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt; ita tamen ut etiam in his ipsis, non nobis, sed Domino ut serviatur, instemus. (*Cap.* 19.)

Ex Expositionibus quarumdam Epistol. S. Pauli.

Venditio animæ. CCCLXVIII. Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. (*Expos. quæst. Prop. ex Ep. ad Rom.* 42.)

Eadem fides in V. & N. T. CCCLXIX. Omnes antiqui qui justificati sunt, ex ipsa fide justificati sunt. Quod enim nos ex parte præteritum, id est primum adventum Domini; ex parte futurum, id est secundum adventum, credendo salvi efficimur; utrumque adventum illi futurum credebant, revelante Spiritu sancto, ut salvi fierent. (*Expos. Ep. ad Gal.*)

Christus formatur in nobis. CCCLXX. Formatur Christus in eo, qui formam accepit Christi; formam autem accipit Christi, qui adhæret Christo dilectione spiritali. Ex hoc enim fit, ut hujus imitatione sit quod ille, quantum gradu suo finitur. (*Ibid.*)

Dilectio in objurgatione. CCCLXXI. Nunquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes conscien-

ſcientiam noſtram, liquido coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere. (*Ibid.*)

S. AUGUST.

CCCLXXII. Laudatores noſtri non minuunt onera conſcientiæ noſtræ, atque utinam non etiam accumulent; cum plerumque ne illis offenſis laus noſtra minuatur, cum objurgatione illos curare negligimus. (*Ibid.*) *Laudes fugiendæ.*

De Civitate Dei.

CCCLXXIII. Si nunc omne peccatum manifeſta plecteretur pœna, nihil ultimo judicio reſervari putaretur: rurſum ſi nullum peccatum nunc non puniret aperte divinitas, nulla eſſe divina providentia crederetur. (*Lib.* 1. *cap.* 1.) *Cur non omnia peccata hic puniantur.*

CCCLXXIV. Plerumque a malis docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis & corripiendis, male diſſimulatur a nobis; vel cum laboris piget, vel cum eorum os coram verecundamur offendere, vel cum inimicitias devitamus, ne impediant & noceant in his temporalibus rebus; ſive quas adipiſci adhuc appetit noſtra cupiditas; ſive quas amittere formidat infirmitas. (*Cap.* 9.) *Correctio fraterna non omittenda.*

CCCLXXV. Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit: neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur mortem. (*Cap.* 11.) *Mala mors quænam.*

CCCLXXVI. Quacumque civitate terrena incomparabiliter ſuperna eſt civitas clarior; ubi victoria, veritas; gloria; ſanctitas; ubi pax, felicitas; ubi vita, æternitas. (*Lib.* 2. *cap.* 29.) *Gaudia cæleſtis patriæ.*

CCCLXXVII. Quid ei ſufficit, cui virtus, felicitaſque non ſufficit? omnia quippe agenda complectitur virtus, omnia optanda, felicitas. (*Lib.* 3. *cap.* 21.) *Virtus noſtra felicitas.*

CCCLXXVIII. Ars bene recteque vivendi, virtus a veteribus definita eſt. (*Ibid.*) *Virtus ars bene vivendi.*

CCCLXXIX. Si ſuam poteſtatem, ad Dei cultum maxime dilatandum majeſtati ejus famulam faciunt. (*Ibid.*) *Boni principes.*

CCCLXXX. Si Deum timent, diligunt, colunt. (*Ibid.*) *Idem.*

CCCXXXI. Si luxuria tanto eis eſt caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior. (*Ibid.*) *Idem.*

CCCLXXXII. Si pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium, Deo ſuo vero immolare non negligunt. (*Ibid.*) *Idem.*

CCCLXXXIII. Tales Imperatores Chriſtianos dicimus eſſe felices; interim ſpe, poſtea reipſa futuros, cum id quod expectamus advenerit. (*Ibid.*) *Idem.*

CCCLXXXIV. Nomen Philoſophi, ſi latine interpretamur, amorem ſapientiæ profitetur; porro ſi ſapientia Deus eſt, per quem facta ſunt omnia, ſicut divina authoritas veritaſque monſtravit; verus Philoſophus eſt amator Dei. (*Lib.* 8. *cap.* 1.) *Verus Philoſophus.*

CCCLXXXV. Cum ad illum ſurſum eſt, cujus eſt altare cor noſtrum, ejus Unigenito cum Sacerdote placamus: ei cruentas vi- *Quænam ſacrificia Deo grata.*

ctimas

[redacted] ctimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus; ei suavissimum adolemus incensum, cum in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus & reddimus: ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis, & diebus statutis, dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio. (*Lib.* 10. *cap.* 4.)

S. AUGUST.

Idem. CCCLXXXVI. Deo sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis, igne fervidæ charitatis. (*Ibid.*)

Deus beatitudo nostra. CCCLXXXVII. Deus est fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. (*Ibid.*)

Ad Deum tendendum. CCCLXXXVIII. Ad hoc bonum, quod Deus est, debemus; & quos diligimus ducere, & a quibus diligimus duci. (*Ibidem.*)

Ipse homo sacrificium est. CCCLXXXIX. Ipse homo Dei nomini consecratus & Deo devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. (*Cap.* 6.)

Sacrificium Altaris. CCCXC. Tota redempta civitas, hoc est, congregatio, societasque sanctorum, universale sacrificium offertur Deo, per Sacerdotem magnum; qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus secundum formam servi; hanc etiam obtulit; in hac oblatus est; quia secundum hanc mediator est; in hac Sacerdos, in hac sacrificium. (*Ibid.*)

Retro non respiciendum. CCCXCI. Uxor Lot in via retro respiciens atque in salem repente conversa, magno admonuit Sacramento, neminem in via liberationis suæ præterita desiderare debere. (*Cap.* 8.)

Homo magnum miraculum. CCCXCII. Miracula visibilium naturarum videndi assiduitate voluerunt; tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque majora sunt; nam & omni miraculo, quod fit per hominem, majus miraculum est homo. (*Cap.* 12.)

Sacrificio adsunt Angeli. CCCXCIII. Nobis sacrificantibus Deo, favent, & congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro suis viribus adjuvant Angeli quique virtutesque superiores, & ipsa bonitate ac pietate potentiores. (*Cap.* 19.)

Christus Sacerdos & victima. CCCXCIV. Christus Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium; quæ cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre. (*Cap.* 20.)

CCCXCV. Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum. (*Ibid.*)

Peccata a Deo separant. CCCXCVI. Non nisi peccatis homines separantur a Deo, quorum in hac vita non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio. (*Cap.* 22.)

Caro corde mundatur. CCCXCVII. Per cor, caro mundatur. (*Cap.* 23.)

Mediator Deus & homo. CCCXCVIII. Sola est adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse mediator sit Deus & homo; quo itur, Deus; qua itur, homo. (*Lib.* 11. *cap.* 2.)

CCCXCIX.

CCCXCIX. Licet justi de suae perseverantiae praemio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti. (*Cap.* 12.) S. AUGUST. Justus perseverantiae certus non est.

CD. Recta voluntas, est bonus amor; voluntas perversa, malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, laetitia; fugiens quod ei adversatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus. (*Lib.* 14. *cap.* 7.) Affectus animi.

CDI. Quid est superbia, nisi perversae celsitudinis appetitus? (*Cap.* 13.) Quid superbia.

CDII. *Ante ruinam exaltatur cor*; illa enim ruina, quae fit in occulto, praecedit ruinam, quae fit in manifesto; dum illa ruina esse non putatur. (*Ibid.*) Causa peccati.

CDIII. Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquid apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit. (*Ibid.*) Idem.

CDIV. Quisquis primi hominis damnationem vel nimiam, vel injustam putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Ubi enim magna est inobedientiae poena proposita, & res a creatore facilis imperata, quisnam satis explicet quantum malum sit, non obedire in re facili, & tantae potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio. (*Cap.* 15.) Magnum Adami peccatum.

CDV. Beata vita si non amatur, non habetur: porro si amatur & habetur, caeteris omnibus rebus excellentius necesse est ametur; quoniam propter hanc amandum est, quidquid aliud amatur. (*Cap.* 25.) Beatae vitae amor.

CDVI. Quis audeat credere vel dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse? sed hoc eorum potestati maluit non auferre; atque ita, & quantum mali eorum superbia, & quantum boni sua gratia valeret, ostendere. (*Cap.* 27.) Permissio peccati.

CDVII. Definitio brevis & vera virtutis, ordo amoris est. (*Lib.* 15. *cap.* 22.) Virtus ordo amoris.

CDVIII. Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius praedicantur. (*Lib.* 16. *cap.* 2.) Haeresis quomodo utilis.

CDIX. Non omnis est culpanda tentatio; quia & gratulanda est, qua fit probatio: & plerumque aliter homo sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires suas sibi, non verbo, sed experimento, tentatione quodammodo interrogante, respondeat: ubi si munus Tentatio utilis.

nus Dei agnoverit, tunc pius eſt; & tunc ſolidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate jactantiæ. (*Cap.* 32.)

S. AUGUST.

Aviditas cibi culpanda.
CDX. In exemplo Eſau diſcimus, in veſcendo, non cibi genere, ſed aviditate immoderata, quenquam culpandum. (*Cap.* 37.)

Diſperſio Judæorum Eccleſiæ utilis.
CDXI. Deus Judæos diſperſit: quoniam ſi cum illo teſtimonio ſcripturarum in ſua tantummodo terra, non ubique eſſent; profecto Eccleſia quæ ubique eſt, eos prophetiarum, quæ de Chriſto præmiſſæ ſunt, teſtes in omnibus gentibus habere non poſſet. (*Lib.* 18. *cap.* 46.)

Eccleſia perſecutionibus obnoxia.
CDXII. Ab ipſo Abel, quem primum juſtum impius frater occidit, & deinceps uſque ad hujus ſæculi finem, inter perſecutiones mundi, & conſolationes Dei, peregrinando procurrit Eccleſia. (*Cap.* 51.)

Patrum familiæ officium.
CDXIII. Qui vere patres familias ſunt, omnibus in familia ſua, tamquam filiis, ad colendum & promerendum Deum, conſulere debent. (*Lib.* 19. *c.* 16.)

Eorum labor.
CDXIV. Magis debent patres quod dominantur, quam ſervi tolerare quod ſerviunt. (*Ibid.*)

Opus, & otium.
CDXV. Non ſic quiſque debet eſſe otioſus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi; nec ſic actuoſus, ut contemplationem non requirat Dei. (*Cap.* 19.)

Epiſcopi officium.
CDXVI. Epiſcopatus, nomen eſt operis, non honoris; & latine ſuperintendere poſſumus dicere, ut intelligat non ſe eſſe Epiſcopum qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. (*Ibid.*)

Negotium & otium.
CDXVII. Otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati; ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter neceſſitatis charitatem; ſed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deferenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas. (*Ibid.*)

Pax ſolatium miſeriæ.
CDXVIII. Pax noſtra hic, talis eſt pax, ut ſolatium miſeriæ ſit potius, quam beatitudinis gaudium. (*Cap.* 27.)

Juſtitia noſtra qualis ſit.
CDXIX. Noſtra juſtitia, quamvis vera ſit, propter veri boni finem ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita, ut potius peccatorum remiſſione conſtet, quam perfectione virtutum. (*Ibidem.*)

Inferni pœna.
CDXX. In inferno & dolor permanet, ut affligat: & natura perdurat, ut ſentiat; quia utrumque ideo non deficit, ut pœna non deficiat. (*Ibid.*)

Pii defuncti ad Eccleſiam pertinent.
CDXXI. Neque piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti: alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria, in communicatione corporis Chriſti; cujus fideles etiam defuncti membra ſunt: quamvis ergo cum ſuis corporibus nondum, jam tamen eorum animæ *regnant cum illo*, dum iſti *mille anni* decurrunt. (*Lib.* 20. *c.* 9.)

Sancti in hac vita plorant.
CDXXII. Nullus eſt ſanctorum in hac vita, qui nullas habeat lacrymas & dolores; cum potius quanto quiſque eſt ſanctior, &

defi-

desiderii sancti plenior, tanto sit ejus in orando fletus uberior. (*Cap.* 17.)

CDXXIII. Quis speraret gentes in Christi nomine speraturas esse, quando tenebatur, ligabatur, cædebatur, illudebatur, & crucifigebatur, quando & ipsi discipuli spem perdiderunt? Quod tunc vix unus latro speravit in cruce, nunc sperant gentes longe lateque diffusæ; & ne in æternum moriantur, ipsa, in qua ille mortuus est, cruce signantur. (*Cap.* 30.) Crux Christi spes nostra.

CDXXIV. Facta resurrectione mortuorum, non deerunt, quibus post pœnas quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. (*Lib.* 21. *cap.* 24.) Liberatio a pœna.

CDXXV. Quæ sint peccata quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen Sanctorum amicorum meritis imperrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. (*Cap.* 27.) Peccata cavenda.

CDXXVI. Nunc, dum venialis iniquitatis, etiam si perseveret, ignoratur modus; profecto & studium in meliora proficiendi, orationi instando vigilantius, adhibetur. (*Ibidem*.) Studium proficiendi.

CDXXVII. Duo incredibilia, resurrectionem scilicet corporis nostri, & rem tam incredibilem mundum esse crediturum, Dominus antequam unum horum fieret, ambo prædixit: unum duorum incredibilium jam factum esse videmus, ut quod erat incredibile crederet mundus; cur id quod reliquum est desperatur, ut etiam hoc veniat quod incredibile credidit mundus? (*Lib.* 22. *c.* 5.) Resurrectio mortuorum credita & credenda.

CDXXVIII. Si per Apostolos ut eis crederetur, Resurrectionem atque Ascensionem prædicantibus Christi, etiam miracula facta esse non credunt; hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine miraculis ullis credidit. (*Ibid.*) Conversio mundi magnum miraculum.

CDXXIX. Miracula fuerunt necessaria priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus: sed nunc quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente, non credit. (*Cap.* 8.) Miracula non quærenda.

CDXXX. Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant & videbantur, fecerunt fidem: aut certe res ita credibilis, ut nullis quibus persuaderetur miraculis indigeret, incredulorum nimiam redarguit incredulitatem. (*Ibid.*) Incredulitas redarguenda.

CDXXXI. Non templa, nec altaria erigimus, in quibus sacrificemus martyribus; sed uni Deo & martyrum, & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines Dei qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen a Sacerdote qui sacrificat, invocantur, quia Dei Sacerdos est, non illorum. (*Cap.* 10.) Deo soli sacrificium offertur.

CDXXXII. Hoc credidit mundus, quod prædixit Deus; qui etiam hoc prædixit quod hoc mundus fuerat crediturus. (*Cap.* 95.) Prædictiones divinæ impletæ.

[redacted] S. AUGUST. Deus finis noster. CDXXXIII. Ibi Deus finis erit desideriorum nostrorum; qui fine fine videbitur, fine fastidio amabitur, fine fatigatione laudabitur. Ecce quod erit in fine fine fine. (*Cap.* 30.)

Gaudia cælestia. CDXXXIV. In cælo erit voluntas libera, & ab omni malo liberata, & impleta omni bono; fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum; oblita culparum, oblita pœnarum, nec tamen ideo suæ liberationis oblita, ut liberatori suo non sit ingrata. (*Ibid.*)

Ex Sermone contra Judæos, Paganos, & Arianos.

Deus incomprehensibilis. CDXXXV. Quando te possum comprehendere tam magnum, qui meipsum non valeo explicare extremum & parvum? (*Cap.* 6.)

De utilitate credendi contra Manichæos.

CDXXXVI. Homini non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se finat, authoritas præsto est, quam partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. (*Cap.* 16.)

Miracula mere non necessaria. CDXXXVII. Cur, inquis, miracula modo non fiunt? quia non moverent, nisi mira essent; at si solita essent, mira non essent. (*Ibid.*

Contra Epistolam Manichæi, quæ dicitur Fundamenti.

Simplicitas in credendo bona. CDXXXVIII. Plebis turbam in Ecclesia, non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas securam facit. (*Cap.* 4.)

Ecclesiæ Catholicæ veritas. CDXXXIX. Multa sunt quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio me justissime tenent: tenet consensio populorum atque gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non fine causa inter tam multas hæreses, ista Ecclesia sola obtinuit. (*Ibid.*)

Idem. CDXL. Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. (*Cap.* 5.)

CDXLI. Superbia est mater omnium hæreticorum. (*Cap.* 6.)

Ex Libris contra Faustum Manichæum.

Scriptura objectum Christus. CDXLII. Omnia quæ sacris continentur libris, vel de Jesu Christo dicta, vel propter ipsum. (*Lib.* 12. *cap.* 7.)

Idem. CDXLIII. Vetus Testamentum recte intelligentibus, Prophetia est novi Testamenti. (*Lib.* 19. *cap.* 2.)

Cæcitas Judæorum. CDXLIV. Non inde authoritas illis libris minuitur quod a Judæis non

non intelliguntur, imo & augetur: nam & ipsa eorum cæcitas ibi prædicta est. (*Lib.* 16. *c.* 21.) S. August.

CDXLV. Alia in nova lege sunt instituta Sacramenta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. (*Lib.* 19.) Sacramenta N. L.

CDXLVI. Nullus est hominum tanta justitia præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem. (*Lib.* 22. *c.* 20.) Tentatio necessaria.

CDXLVII. Hebræorum non tantum lingua, verum etiam vita, fuit Prophetica; totumque illud regnum, magnus quidam, quia & magni cujusdam, fuit Propheta. (*Cap.* 24.) Hebræorum vita prophetica.

CDXLVIII. Fuit Moyses humilis in recusando tam magno ministerio; subditus in suscipiendo; fidelis in servando; strenuus in exsequendo; in regendo populo vigilans; in corrigendo vehemens; in amando ardens; in sustinendo patiens. (*Cap.* 69.) Moysis virtutes.

CDXLIX. Fit homo justus cum ob aliud non appetit rebus uti, nisi propter quod divinitus institutæ sunt: ipso autem Deo frui propter seipsum; seque & amico in ipso Deo, propter eundem ipsum Deum. (*Cap.* 78.) Justus omnia diligit propter Deum.

CDL. Propter Deum amat amicum, qui Dei amorem amat in amico. (*Ibid.*) Idem.

Ex Libris contra Adversarium Legis & Prophetarum.

CDLI. Pœnitentia Dei dicitur, rerum in ejus potestate constitutarum, hominibus inopinata mutatio: ira Dei est vindicta peccati; misericordia est, bonitas opitulantis; zelus Dei est providentia, qua non finit eos, quos subditos habet, impune amare quod prohibet. (*Lib.* 1. *cap.* 20.) Quid sunt pœnitentia, ira, zelus Dei.

CDLII. Oportet intelligere Deum sine misericordia miserantem; sine ira irascentem; sine zelo zelantem; sine oblivione obliviscentem; sine ignorantia nescientem; sine pœnitentia pœnitentem. (*Ibid.*) Idem.

De bono Conjugii.

CDLIII. Ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate, non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. (*Cap.* 1.) Omnes homines ex uno.

CDLIV. Quid si, ajunt quidam, omnes velint a connubio abstinere, unde subsistet genus humanum? utinam omnes hoc vellent, duntaxat in *charitate de puro corde*, & *conscientia bona*, & *fide non ficta*; multo citius compleretur, & acceleraretur terminus sæculi. (*Cap.* 10.) Castitas mundo utilis.

CDLV. Apostolus illum concubitum *secundum veniam* concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi; cujus delicti homines non Matrimonii usus quando bonus.

[redacted] habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si misericordiam Dei non a se avertant, non abstinendo quibusdam diebus ut orationi vacent, & per hanc abstinentiam sicut per jejunium commendent preces suas. (*Ibid.*)

S. AUGUST.

Idem. CDLVI. Antiqui patres, cum plures conjuges habere uni viro licebat, eas castius habebant, quam nunc unam quilibet istorum, quibus videmus quid *secundum veniam* concedat Apostolus. (*Cap.* 13.)

Excellentia virtutis. CDLVII. Penuriam pati, quorumcumque hominum est; sed scire penuriam pati, magnorum est: sic & abundare quis non potest; scire autem & abundare & recte vivere, non nisi eorum est, quos abundantia non corrumpit. (*Cap.* 21.)

De Sancta Virginitate.

Virginitas connubio melior. CDLVIII. Jure Divino continentia, connubio, & nuptiis pia virginitas anteponitur. (*Cap.* 1.)

Ecclesia virgo & mater. CDLIX. Ecclesia & Virgo & Mater est. Maria corporaliter hujus corporis caput peperit: Ecclesia spiritaliter membra illius capitis parit: in utraque virginitas fœcunditatem non impedit, in utraque fœcunditas virginitatem non adimit. (*Cap.* 2.)

Deiparæ dignitas. CDLX. Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi: Materna enim propinquitas nihil ei profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. (*Cap.* 3.)

Idem. CDLXI. Christus nascendo de virgine, quæ antequam sciret quid de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quam imperare. (*Cap.* 4.)

Anima pia mater Domini. CDLXII. Mater Domini est, etiam omnis anima pia, faciens voluntatem patris ejus fœcundissima charitate in iis quos parturit, *donec in eis ipse formetur.* (*Cap.* 5.)

Sequela Christi ejus imitatio. CDLXIII. Quid est sequi Christum, nisi imitari? hunc enim in eo quisque sequitur, in quo imitatur. (*Cap.* 27.)

Idem. CDLXIV. Dominus non dicit; *discite a me* mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed, *quia mitis sum, & humilis corde.* Huccine, Domine, redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi in te, ut hoc pro magno discamus a te, quia *mitis es & humilis corde?* ita ne magnum est esse parvum, ut nisi a te qui tam magnus es, fieret, dici omnino non posset? ita plane: non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat. (*Cap.* 35.)

Timor sanctus. CDLXV. Si non amas, time ne pereas; si amas, time ne displiceas: illum timorem charitas foras mittit; cum ista intro currit. (*Cap.* 38.)

Humilitas tenenda. CDLXVI. Inter divina monita, & humana pericula, itane adhuc humilitatem persuadere laboramus? (*Cap.* 39.)

CDLXVII.

CDLXVII. Superbiam sic odit Deus, ut contra hanc unam se tantum humiliaret Altissimus. (*Cap.* 40.) S. AUGUST.

Superbia fugienda.

CDLXVIII. Qui a pueritia religiose, pie, caste vixit, multo ardentius diligere debet Deum, qui flagitiosis ad se conversis quæcumque dimisit, quod in ea se cadere non permisit. (*Ibid.*) Justi magis Deum diligere debeat.

CDLXIX. Simulatio humilitatis, major superbia est. (*Cap.* 43.) Grandis superbia.

CDLXX. Custos virginitatis charitas, locus autem hujus custodis, humilitas. (*Cap.* 51.) Charitas & humilitas custodes.

CDCXXI. Humiliter ad humilem venite, si amatis; & ne discedatis ab illo, ne cadatis: pergite viam sublimitatis, pede humilitatis. Ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad jacentes. (*Cap.* 52.) Humilitate accedendum ad Deum.

CDLXXII. Quidquid mali ipso custodiente non committitis, tamquam remissum ab illo deputate; ne modicum vobis existimantes dimissum, modicum diligatis; & tundentes pectora publicanos ruinosa jactantia contemnatis. (*Ibid.*) Idem.

CDLXXIII Justitiam vestram nolite statuere, Deo vos justificanti subdite; veniam peccatis donate alienis; orate pro vestris; futura vigilando vitate; præterita confitendo dolete. (*Ibid.*) Actus pietatis.

CDLXXIV. Totus vobis figatur in corde qui pro vobis fixus est in cruce. (*Cap.* 55.) Christus in corde figatur.

De adulterinis conjugiis.

CDLXXV. Non terreat sarcina continentiæ; levis erit, si Christi erit; & Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat a jubente quod jusserit. (*Lib.* 2. *cap.* 19.) Continentia onus leve.

Ex Libris contra Parmenianum Donatistam.

CDLXXVI. Sacrilegium schismatis omnia scelera supergreditur. (*Lib.* 1. *cap.* 4.) Schisma grave crimen.

CDLXXVII. His peccatis curandis, quæ quotidie de sæculi amarissimis fructibus humanæ vitæ infirmitas contrahit, adhibentur medicamenta eleemosynarum, jejuniorum, & orationum; ut in oratione dicatur, quod in eleemosynis agitur: nam & peccatum quod in te alter admisit, dimittere, ut & tibi tuum Deus dimittat, magnum opus misericordiæ. (*Cap.* 10.) Medicina levium peccatorum.

CDLXXVIII. Virga charitatem habet: aliud est enim charitas severitatis, aliud charitas mansuetudinis; una quidem charitas, sed diversa in diversis operatur. (*Lib.* 3. *cap.* 1.) Charitas varia.

S. AUGUST.

Ex Libris de Baptismo contra Donatistas.

Instructiones repetendæ. CDLXXIX. Ea quæ sunt instructioni necessaria, sæpius oportet insinuare tardioribus; & cum eadem multipliciter varieque versantur atque tractantur, ipsos quoque capaciore intelligentia præditos adjuvant, & ad facilitatem sciendi, & ad copiam disserendi, (*Lib.* 2. *cap.* 1.)

In scientia humana gradus. CDLXXX. Aliud sapere quam se res habet, *humana tentatio est*: nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est: in nullo autem aliter sapere quam res se habet, angelica perfectio est. (*Cap.* 5.)

Scriptura Sancta statera. CDLXXXI. Non afferamus stateras dolosas ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus; dicentes, hoc grave, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus; immo non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus, (*Cap.* 6.)

Apostolica Traditio. CDLXXXII. Multa quæ non inveniuntur in litteris Apostolorum, neque in Conciliis posteriorum; & tamen per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab Apostolis tradita & commendata creduntur. (*Cap.* 7.)

Quis hæreticus. CDLXXXIII. Aliquem nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi Ecclesiæ Catholicæ doctrina, fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit. (*Lib.* 4. *cap.* 16.)

Martyrium baptismus. CDLXXXIV. Non tantum passio pro nomine Christi, id quod ex baptismo deest, potest supplere; sed etiam fides conversioque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. (*Cap.* 22.)

Apostolica authoritas. CDLXXXV. Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur. (*Cap.* 24.)

Contra sacrilege communicantes. CDLXXXVI. Indigne quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit: aut quia ad salutem non accipit, nihil acceperit: Corpus enim Domini, & Sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus: *Qui manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit*, (*Lib.* 5. *cap.* 8.)

Ex Libris contra epistolas Petiliani Donatistæ.

Spes in homine non ponenda. CDLXXXVII. Quisquis *in homine spem ponit*, etiam quem justum & innocentem novit, *maledictus est*. (*Lib.* 1. *cap.* 3.)

Ecclesia omnibus patet. CDLXXXVIII. Ecclesia vera neminem latet: unde est illud in Evan-

Evangelio: *non potest abscondi civitas supra montem posita*. (*Lib.* 2. *cap.* 33.) S. AUGUST.

CDLXXXIX. Charitas Christiana, nisi in unitate Ecclesiæ, non potest custodiri. (*Cap.* 77.) Charitas in unitate Ecclesiæ.

CDXC. Nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium. (*Lib.* 3. *cap.* 7.) Bona & mala conscientia.

Ex Libris contra Cresconium Grammaticum.

CDXCI. Unus Deus, una fides, unum baptisma, una incorrupta catholica Ecclesia; non in qua sola unus Deus colitur, sed in qua sola unus Deus pie colitur: nec in qua sola una fides retinetur, sed in qua sola una fides cum charitate retinetur: nec in qua sola unus baptismus habetur, sed in qua sola unus baptismus salubriter habetur. (*Lib.* 1. *cap.* 29.) In sola vera Ecclesia virtutes.

CDXCII. Quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat. (*Cap.* 33.) Ecclesia magistra sensus Scripturæ.

CDXCIII. Extat Ecclesia cunctis clara atque perspicua; quippe *civitas quæ abscondi non potest super montem posita*, per quam *dominatur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terræ*. (*Lib.* 2. *cap.* 36.) Ecclesia cunctis clara.

CDXCIV. In hoc Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant; non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam religionem. Reges quomodo Deo serviant.

Ex Libro ad Donatistas post Collationem.

CDXCV. Sic & disciplina servat patientiam, & patientia temperat disciplinam, & utrumque refertur ad charitatem; ne forte aut indisciplinata patientia foveat iniquitatem, aut impatiens disciplina dissipet unitatem. (*Cap.* 4.) Patientia & disciplina.

De Peccatorum meritis, & remissione adversus Pelagianos.

CDXCVI. Sic totum in tribus beneficiis positum, breviter peti potest: ignosce nobis ea in quibus abstracti sumus a concupiscentia, adjuva ne abstrahamur a concupiscentia, aufer a nobis concupiscentiam. (*Lib.* 2. *cap.* 4.) Contra concupiscentiam.

CDXCVII. Nullius culpæ humanæ in Deum referas causam: vitiorum namque omnium causa, superbia est. (*Cap.* 17.)

CDXCVIII. Quod a Deo nos avertimus, nostrum est; & hæc est voluntas mala: quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona. (*Cap.* 18.) Mala & bona voluntas.

S. AUGUST. Gratiæ Dei beneficia. CDXCIX. Cum a Deo illius adjutorium deprecamur, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat? quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, dum antea lateret; ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. (*Cap.* 19.)

Nemo coram Deo justificatur. D. Deus etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut in his eos minus quam implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cum latet, sive cum etiam manifestum est: ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, *non justificetur in conspectu ejus omnis vivens*. (*Ibid.*)

Præsumptio pietati contraria. DI. Nec in eo ipso Deus vult nos damnabiles esse sed humiles; commendans nobis eamdem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est: qui error multum est religioni pietatique contrarius. (*Ibid.*)

Claritas Scripturarum. DII. Inhærendum est iis quæ in Scripturis sunt apertissima, ut ex his revelentur obscura. (*Lib.* 3. *cap.* 4.)

De Natura, & Gratia.

Deus non deserit nisi deseratur. DIII. Cum Deus per Christum spiritaliter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, idest justificat impium; & cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. (*Cap.*26.)

Quid præstet Dei gratia. DIV. Sanat Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet ne peccemus. (*Ibid.*)

Superbiæ fuga. DV. Cætera vitia tantum in malefactis valent: sola autem superbia etiam in recte factis cavenda est. (*Cap.* 27.)

Idem. DVI. Ubi lætatus homo fuerit in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit superbia & dicit; ecce ego vivo, quia triumphas; & ideo vivo, quia triumphas. (*Cap.* 31.)

Maria sine labe. DVII. De sancta Maria propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: unde enim scimus quid ei gratiæ plus collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? (*Cap.* 36.)

CA-

CAPUT XVIII.

SELECTA AXIOMATA

S. BERNARDI

Claræ-vallensis Abbatis, & Ecclesiæ Doctoris (a).

Ex Epistolis de S. Bernardi.

S. BERNAR.

Diei judicii severitas.

I. QUID faciet de injustis judiciis qui ipsas quoque justitias judicabit? veniet (inquam) dies judicii ubi plus valebunt pura corda quam astuta verba, & conscientia bona, quam marsupia plena: quandoquidem judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. (*Ibid.*)

Charitatis officia.

II. Vult te (*charitas*) tuum sentire dolorem, ut jam non habeas unde dolere: vult te tuam scire miseriam, ut incipias miser non esse. O bona mater charitas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos. Cum te arguit, mitis est, cum blanditur, simplex est. Pie solet sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari. (*Epist. 2. ad Fulc. puer.*)

Contra carnales voluptates.

III. Ipse est Dei sapientia, quæ ait: *Qui comedit me, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet.* Sed quomodo potest esurire vel sitire Christum, plenus quotidie siliquis porcorum? *Non potest simul bibere Calicem Christi, & Calicem dæmoniorum.* Calix dæmoniorum superbia est, calix dæmoniorum detractio & invidia est, calix dæmoniorum crapula & ebrietas est: quæ cum impleverint vel mentem, vel ventrem tuum, Christus in te non inveniet locum. (*Ibidem.*)

Ecclesiasticorum beneficiorum usus.

IV. Dignum est ut qui altario deservit, de altario vivat: conceditur ergo tibi ut si bene deservis, de altario vivas: non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea, collo & manibus ornata, purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est... sic ergo & nos contenti sumus vestimentis quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis

(*a*) S. Bernardus Fontanis in Burgundia natus est anno 1091. Abbas Claræ-vallensis eligitur anno 1115. Episcopatus Genuensem & Mediolanensem recusavit; obiit anno 1153. ætatis suæ 63.

S. BERNAR.

lis vel similari, vel placere studeamus. Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito: si non facio quod cæteri, de singularitate notabor. Propterea inquam, exi de medio eorum, ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum, (*Ibid.*)

Veræ Patientiæ munus.

V. Vera patientia est pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat. (*Ep. 7. ad Adam. Mon.*)

Ecclesiasticæ dignitates periculosæ.

VI. Quæris a me consilium, vir illustris Bruno, an volentibus te promovere ad Episcopatum acquiescere debeas. Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat; quis audeat dissuadere? forte non vocat, quis appropinquare consulat? utrum vere vocatio Dei sit, an non sit, quis scire possit excepto spiritu qui scrutatur etiam alta Dei, vel si cui forte revelaverit ipse? (*Ep. 8. ad Brunon. Colon. El.*)

Veri amici officia.

VII. Durus ne videor, quia non blandior, quod metum incutio, quod amico cupio initium sapientiæ? sic mihi contingat semper beare amicos; id est terrendo salubriter, non adulando fallaciter. (*Ep. 9. ad eund. Arch. creatum.*)

Charitatis gradus.

VIII. Imprimis ergo diligit seipsum homo propter se. Caro quippe est, & nil sapere valet præter se. Cumque se videt per se non posse subsistere, Deum sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere & diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum; at vero cum ipsum cœperit occasione propriæ necessitatis colere & frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo, quadam hujuscemodi familiaritate paulatim sensimque Deus innotescit, consequenter & dulcescit, & sic gustato quam suavis est Dominus, transit ad tertium gradum, ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum, sane in hoc gradu statur, & nescio si a quoquam hominum quartus in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantum propter Deum. (*Ep. 11. ad Guig. Prior. Carth.*)

Fructus Fidei, & Charitatis.

IX. Sicut dicitur, *nisi credideritis, non intelligetis;* sic dici æque non absurde potest; si non desideraveritis, non perfecte amabitis. Intellectus igitur est fructus fidei, perfecta charitas desiderii. Interim justus ex fide vivit, nam beatus ex intellectu. Interim justus desiderat ad Deum sicut cervus ad fontes aquarum. Nam beatus haurit jam in gaudio de fontibus Salvatoris, hoc est, delectatur in plenitudine charitatis. (*Ep. 18. ad Petrum Cardin.*)

Inter malos bonum esse difficile.

X. Et quidem inter bonos bonum esse, salutem habet; inter malos vero, & laudem. Illud tantæ facilitatis est, quantæ & securitatis, hoc tantæ virtutis, quantæ & difficultatis. Quale nempe est illud tangere picem, & non inquinari ex ea; in igne sine læsione versari, & in tenebris absque caligine. (*Ep. 25. ad Hugon. Rothom. Archi.*)

Ambitio ad præcipitium trahit.

XI. Si altiorem quam meliorem esse delectat: non præmium, sed præcipitium expectamus. (*Ep. 27. ad Arbut. Geben. Episc.*)

Scandala quando non curanda.

XII. Memento non omnium scandalum magnopere esse curandum, juxta responsionem Domini dicentis: *sinite illos, cæci sunt & du-*

& duces cæcorum. Melius est enim ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur. (*Ep.* 34. *ad Drogon. Mon.*) S. BERNAR.

XIII. Peccabis non minus nimis irascendo, quam omnino non irascendo. Si quidem non irasci ubi irascendum sit, nolle emendare, peccatum est. Plus vero irasci, quam irascendum sit, peccatum peccato addere est: quod si malum est peccatum non emendare, quomodo malum non erit augmentare? (*Ep.* 69. *ad Guid. Abb. de trib. font.*) Irasci aliquando bonum.

XIV. Adversus laudatores illis me duobus munire consuevi versiculis. Contra malevolos quidem priorem: *Avertantur retrorsum, & erubescant qui volunt mihi mala*. Contra benevolos autem proferens sequentem: *Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi, euge, euge*. (*Ep.* 72. *ad Rain. fusciac. Abbat.*) Proprias laudes fugere.

XV. Error est humanæ mentis non modo bonum putare malum, & malum bonum, aut verum falsum, & e converso, sed etiam certa recipere pro dubiis, dubia pro certis. (*Ep.* 85. *ad Willem. Abbat. S. Theodor.*) Mentis errores vitandi.

XVI. O Domine qui illuminas lucernam meam, qua jam video & horreo tenebras meas: Deus meus illumina ipsas tenebras meas, ut videam & gaudeam ordinatam in me charitatem: sciens & diligens quæ diligenda sunt; & quantum & ad quid diligenda sunt, me quoque nolens diligi nisi in te, & quantum diligendus sum. (*Ibid.*) Charitatis ordinatæ effectus.

XVII. Est siquidem timor inutilis, tristis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non consequitur. Est siquidem timor pius, humilis, fructuosus, qui cuilibet, quamtumlibet peccatori, facile misericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit, & servat humilitatem, sed mansuetudinem, sed patientiam, sed longanimitatem: quem non delectat tam inclita proles? alterius vero misera soboles est pertinacia, immoderata tristitia, rancor, horror, contemptus & desperatio. (*Ep.* 87. *ad Oger. Canon. Reg.*) Timor utilis & inutilis.

XVIII. Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis; nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. (*Ibid.*) Laus humilitatis.

XIX. Vidit Jacob in scala Angelos ascendentes & descendentes, nunquid stantem quempiam, sive sedentem? non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto hujus mortalis vitæ quicquam in eodem statu permanet: non habemus hic manentem civitatem, nec futuram adhuc possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas necesse est, aut descendas. Si attentas stare, ruas necesse est; minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. (*Ep.* 91. *ad Abbat. congreg. Suession.*) Semper proficere.

XX. Nemo se amari diffidat, qui jam amat. Libenter Dei amor nostrum quem prævenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit & necdum amantes? amavit, inquam, amavit. Objectum & causa charitatis.

[redacted] mavit. Habes enim dilectionis pignus spiritum, habes & testem
S. BERNAR. fidelem Jesum & hunc crucifixum. O geminum ipsumque firmissimum Dei erga nos amoris argumentum. Christus moritur & meretur amari: Spiritus afficit, & facit amare. Ille facit cur ametur, iste ut ametur. Ille suam multam dilectionem in nobis commendat, iste & dat. In illo cernimus quæ amemus; ab isto sumimus unde amemus. Charitatis igitur ab illo occasio, ex isto affectio. Quanta confusio, Dei filium ingratis oculis cernere morientem! quod quidem facile contingit, si desit Spiritus. (*Ep. 107. ad Thom. Præp. de Beverl.*)

Amor mundi idololatria. XXI. Si dicente scriptura pietas est cultus Dei; profecto quisquis plus amat mundum quam Deum, impius atque idololatra esse convincitur, colens & serviens creaturæ, potius quam Creatori. (*Ibid.*)

Bonum religiosæ vitæ. XXII. Si filium vestrum Deus facit & suum, quid vos perditis; aut ipse quid perdit? fit de divite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri; & quod his omnibus majus est, sanctus de peccatore. (*Ep. 110. ad parent. Gaufridi de Peron.*)

Idem. XXIII. O durum patrem, o sævam matrem, o parentes crudeles & impios, imo non parentes, sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filii est; qui me malunt perire cum eis quam regnare sine eis; qui me rursus ad naufragium, unde tandem nudus evasi, rursus ad ignem, unde vix semiustus exivi; rursus ad latrones, a quibus semivivus relictus sum, sed miserante Samaritano jam aliquantulum convalui, revocare conantur: & militem Christi prope jam rapto cælo triumphantem (quod non in me glorior, sed in eo qui vicit mundum) ab ipso jam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum; tanquam suem ad lutum, ad sæculum reducere moliuntur. Mira abusio! Domus ardet, ignis instat a tergo, & fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi! & hoc ab his qui in incendio positi sunt, & obstinatissima dementia, ac dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. (*Ep. 111. ex person. Eliæ Mon. ad parent.*)

Virtutis acquisitio. XXIV. Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in victoria. (*Ep. 126. ad Episc. Aquitan.*)

Vicissitudo divinæ sapientiæ effectus. XXV. Si tristia semper acciderent, quis sustineret? si semper prospera, quis non contemneret? sed verum cauta gubernatrix sapientia, horum pernecessaria vicissitudine eo moderamine electis suis cursum vitæ temporalis alternat, ut nec adversa frangant nec læta dissolvant; cum potius & ista ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. (*Ep. 136. ad Petrum Pap. Episcop.*)

S. Sedes veneranda. XXVI. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire; in exhibenda reverentia summæ & Apostolicæ Sedi, & beati Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universo servari imperio. (*Ep. 183. ad Conrad. Reg. Roman.*)

Ecclesia judex quæstionum. XXVII. Et quoniam pro Hur & Aaron stat zelus & authoritas Romanæ Ecclesiæ super populum Dei, ad ipsam merito referi-

ferimus non quæstiones, sed læsiones fidei, & injurias Christi, patrum probra atque contemptus, præsentium scandala, pericula posterorum. (*Ep.* 188. *ad Episc. & Cardin. curiæ.*) S. BERNAR.

XXVIII. Sermo quidem vivus & efficax, exemplum est operis, facile faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi scilicet atque exempli, summam tui officii ad conscientiæ securitatem pendere intellige. Tu tamen si sapis, junges & tertium, studium videlicet orationis, ad complementum utique trinæ illius repetitionis in Evangelio de pascendis ovibus. In hoc noveris illius Trinitatis Sacramentum in nullo frustratum a te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas & sanctarum fructu orationum. Manent itaque tria hæc: verbum, exemplum, & oratio: major autem his est oratio. Nam etsi vocis virtus sit opus, & operi tamen & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio. (*Ep.* 201. *ad Bald. Abl. Reatin. Mon.*) Quomodo grex christianus pascendus.

XXIX. Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis: quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum? (*Ep.* 237. *ad Eug. Pp.*) Zelus pro Ecclesia.

XXX. Habet vera amicitia nonnunquam objurgationem, adulationem nunquam. (*Ep.* 142. *ad Romanos.*) Vera amicitia.

XXXI. Restituat sibi Cæsar quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei Deo. Utrumque interesse Cæsaris constat & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defensare. Alterum regi, alterum convenit Ecclesiæ advocato. (*Ep.* 243. *ad Conrad. Reg. Roman.*) Principes Ecclesiæ defensores.

XXXII. Si vobis summum & sanctum Pontificem falsitatis arguere libet, ignoscite nobis: quia nos tantæ sanctitati non credere, & tantæ majestati non obedire nefas ducimus. (*Ep.* 252. *ad Abb. de Præmon.*) Papæ debita reverentia.

XXXIII. Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur.... nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper esurit, sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus instar mercenarii; sed in æternum divino se mancipat famulatui.... Porro currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? ideo Paulus ait: *sic currite ut comprehendatis*. Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. *Factus est*, inquit, *obediens usque ad mortem*. Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. Bravium Christus est. Quod si illo currente tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas, timendumque tibi est, quod ait David: *Ecce qui elongant se a te, Domine, peribunt*. Itaque si proficere, currere est: ubi proficere, ibi & currere desinis. Ubi vero non currere, ibi & deficere incipis. In virtute non proficere est deficere.

pis. Hinc plane colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est. (*Ep.* 253. *ad Abb. Garin. Alpens.*)

S. BERNAR.

Regnorum felicitas. XXXIV. Regna terræ & jura regnorum, tunc sane sana suis dominis atque illæsa persistunt, si divinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt. (*Epist.* 255. *ad Ludovic. Reg. Franc.*)

Magna mala magna pariunt bona. XXXV. Quando magna bona mortalibus provenerunt, quæ non magna prævenerint mala? nam ut cætera taceam, nonne illud unicum & singulare beneficium nostræ salutis præcessit mors Salvatoris? (*Ep.* 256. *ad Eugen. Pp.*)

Nemo invitus benefacit. XXXVI. Pii cordis est cedere importunitati, quæ ad id quod oportet adduci non patitur, alioquin invitum tenere ad quod invitus tractus est, durum pro illo, fructuosum nemini. Porro occupare locum & non facere fructum, nec loco expedit, nec vos decet, nec nos. Nemo (ut ait beatus Ambrosius) invitus benefacit, etiamsi bonum est quod facit: quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis. (*Ep.* 258. *ad eumdem.*)

Ordo contra ordinem. XXXVII. Ordinatissimum est, minus interdum aliquid ordinate fieri. (*Ep.* 276. *ad eumd.*)

Humanus animus & fallit & fallitur. XXXVIII. Nec novum, nec mirum est humanum animum posse falli vel fallere: cavendum & hoc & illud: quia utrobique periculum, ad utrumque cautelam vobis opposuit magni consilii Angelus, quando dixit: *Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ*; ut nec prudentia decipi, nec simplicitas decipere posset. (*Ep.* 327. *ad Innoc. Pp.*)

Bona spiritualia quærenda. XXXIX. Denique quia omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt Sancti; moveat nos ipsum quoque sæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? sic & curiosi cujusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu... pudeat certe nos esse spiritualium bonorum minus cupidos inveniri, erubescat anima conversa ad Dominum, minori affectu sectari justitiam, quam iniquitatem antea sectaretur. Est enim causa quoque valde dissimilis. Stipendium quippe peccati mors, fructus autem spiritus vita æterna: pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire; & minori studio salutis acquirere, quam perditionis augmentum. (*Ep.* 341. *ad Mon. S. Bertini.*)

Ad Crucis vexillum vocandum. XL. Si prostratus (ait beatus Hieronymus) jaceat in limine pater, si nudato sinu quibus te lactavit ubera ostendat mater, si parvulus a collo pendeat nepos: per calcatum perge matrem, & siccis oculis ad vexillum crucis evola. Summum pietatis est genus in hac parte pro Christo esse crudelem, phreneticorum lacrymis ne movearis qui te plangunt de gehennæ filio, factum filium Dei. (*Ep.* 351. *ad Hugon. Novion.*)

Bonæ conscientiæ fructus. XLI. Bona bonæ conscientiæ reviresсunt, in laboribus non arescunt, nec in morte evanescunt, sed reflorescunt, lætificant viventem,

tem, morientem consolantur, reficiunt mortuum, nec deficiunt in æternum. (*Ep.* 373. *ad Thom. Præpos. Beverlac.*) S. BERNARD.

XLII. Cum multi sint vocati, pauci vero electi, non est magnum argumentum ad faciendum rei dubiæ finem, id esse laudabile quod a multis laudatur. (*Epist.* 377. *Innoc. Pp.*) Non semper laudabile quod a multis laudatur.

XLIII. Quia nihil habetis quod non accepistis, de Domino in bonitate, de vobis autem in humilitate sentite. (*Ep.* 384. *Eugenii Pp. ad Capitul. Cisterciens.*) Humilitas.

XLIV. Reversi ad vos intrate ad cor vestrum ubi sine dubio regnum Dei est: regnum enim ejus intra vos est. Quid est hoc regnum? sana & libera voluntas hominis, ita se conformans voluntati Dei, ut nihil velit quod ei displicere, nihil nolit quod sciat ei placere. Primum ergo quærite regnum Dei, ut liberetur, & sanetur voluntas vestra, veneno sæculi graviter imbuta vel corrupta, & omnia corpori necessaria adjicientur vobis. Nolite solliciti esse de corpore quod est hæreditas vermium; sed solliciti estote de anima, quæ ad imaginem Dei facta est, quomodo revelata facie gloriam Dei speculetur, & in eamdem imaginem reformetur & transformetur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. (*Ep.* 385. *ad quosdam noviter Conversos.*) De salute animæ sollicitudo.

XLV. Ipsa bona temporalia sunt, si non amantur, licita: si amantur, illicita; sive autem amantur, sive non amantur, non multum expediunt, quia quadam sui dulcedine cor possidentis cito subvertunt. (*Ibid.*) Divitiarum pericula.

XLVI. Quantumcumque gravis se ingerat memoriæ meæ recordatio scelerum meorum, quantumcumque me deterreat vitæ meæ præteritæ horribilis consideratio, faciant alii quod censuerint expedire. Ego semper sentiam in bonitate de dulcedine Domini mei Jesu Christi: semper oculi mei ad misericordiam ejus, sciens nimirum & quandoque in me experiens longe efficaciorem ejus dulcedinem ad consolandum, multoque promptiorem ejus benignitatem ad indulgendum, quam meam iniquitatem ad delinquendum. Scio utique quia non est iniquitas, sicut iniquitas mea. Sed e regione non est dolor sicut dolor meus. Si supra modum peccavi, non despero, quia supra modum dolui in quo respiro. Si exasperatur Deus immanitate sceleris mei, mitigatur procul dubio in dolore satisfactionis filii sui, quia mitis & innocens agnus in cruce pendens, utpote, qui coram tondente se obmutuit, non improperat circumstantibus & insanientibus in eum: sed dulciter suggerit transeuntibus viam, & respicientibus ad eum. Sic enim scriptum est: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* (*Ibid.*) Mors Christi solatium pœnitentium.

Ex

S. BERNAR.

Ex Sermonibus.

Compunctio cordis.

XLVII. Usque ad cordis compunctionem & oris confessionem occurras, ut saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ, quoniam indignum est illuc authorem puritatis intrare. (*Serm. 1. de Advent. Dom.*)

Nativitas J. C. quomodo celebranda.

XLVIII. Denique quod damnabilius est, ipsa quoque inæstimabilis hujus dignationis memoria datur in occasionem carnis, ut videas eos tanta sollicitudine diebus istis vestium gloriam, ciborum parare delicias, ac si hæc ejusmodi quærat in nativitate sua Christus, & ibi suscipiatur dignius, ubi hæc accuratius exhibeantur: sed ipsum audi dicentem: *superbo oculo & insatiabili corde, cum hæc non edebam.* Quid tanta ambitione vestes paras in natale meum? detestor ego superbiam, non amplector. Quid tanta sollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? damno ego carnis delicias, non accepto. (*Serm. 3. in Adv. Dom.*)

Prælati semper veneranda.

XLIX. Tribue tribus quæ sua sunt, redde superiori, redde æquali & inferiori quod debes, & digne celebras adventum Christi, parans ei in justitia sedem suam. Redde, inquam, reverentiam Prælato & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis. Nec enim sufficit exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod & si tam manifeste innotuerit indigna Prælati alicujus vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat; propter eum tamen a quo est omnis potestas, ipsum quem modo talem novimus, excelsum reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ, & dignitati ipsius officii deferentes. (*Ibid.*)

Prælati erga subditos officia.

L. Si cui forte prælatus es, huic sine dubio teneris debito sollicitudinis amplioris, exigit a te & ipse custodiam & disciplinam: custodiam quidem, ut possit cavere peccatum, disciplinam vero ut quod minus cavit, minime maneat impunitum. (*Ibid.*)

Spiritus corpus regat.

LI. Quod si nemini fratrum præesse videris, habes tamen sub te cui custodiam hanc & disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus; debes ei custodiam, ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes & disciplinam ut dignos faciat pœnitentiæ fructus, castigatum & subditum servituti. (*Ibid.*)

Animæ pretium maximum.

LII. Longe tamen graviori & periculosiori debito tenentur adstricti qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix, quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum illud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certe id servandum accepi, pro quo merca-

mercator non insipiens (ipsa utique sapientia) sanguinem illum dedit. (*Ibid.*) S. BERNAR.

LIII. *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Considera sane in his verbis, quoniam humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis, priore cognoscimus quod nihil sumus; & hanc discimus a nobis ipsis & ab infirmitate propria. Posteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo discimus qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, qui etiam quæsitus in regnum fugit, quæsitus ad tanta probra & ignominiosum supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum. (*Serm.* 4. *in adv. Dom.*) Humilitas cognitionis & affectionis.

LIV. Sunt & alii mites, sed quandiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit? *Ibid.*) Vera dulcedo.

LV. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possent esurire & sitire justitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem judicium: sed nunc pondus, & pondus utrumque abominatio est apud Deum, nam contra alios tam impudenter quam inaniter æstuant; se ipsos tam insipienter quam inutiliter palpant. (*Ibid.*) Zelus falsus.

LVI. *Si quis diligit me, sermones meos servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Sed quid est, si quis diligit me, sermones meos servabit? legi enim alibi: *Qui timet Deum, facit bona.* Sed plus aliquid dictum sentio de diligente, quia sermones Dei servabit: ubi ergo servandi sunt? haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta: *in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*: Sed quomodo in corde servandi? an sufficit sola eos servare memoria? at vero sic servanti dicet Apostolus, quoniam *scientia inflat*; denique & memoriam facile delet oblivio. Sic serva sermonem Dei, quomodo melius servare potes cibum corporis tui... ergo trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede bonum, & delectabitur in crassitudine anima tua. (*Serm.* 5. *in Advent. Dom.*) Verbum Dei in corde servandum.

LVII. In illam ergo civitatem (*Nazareth*) missus est Angelus Gabriel a Deo: ad quem? *ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Quæ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo: tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis! nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus consecrat virginitatem? audis virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis.... *Super quem* (inquit) *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* super humilem dixit, non super Virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset, si super eam non impregnasset; quo- Humilitatis & virginitatis nexus pulcherrimus.

quomodo enim de ipso sine ipso concipiet? Patet itaque quia ut de
S. BERNAR. Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, *respexit humilitatem ancillæ suæ Deus*, potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat quia etiam ut placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. (*Hom. 1. de Laud. Virg. super verba: Missus est. &c.*)

Humilitas Christi nostram damnat superbiam.

LVIII. *Et erat subditus illis*: quis, quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige, quid amplius mireris, sive filii benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem. Utrimque stupor, utrimque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas sine exemplo; & quod Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, *quod sequuntur agnum quocumque ierit.* Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit? disce, homo, obedire, disce, pulvis, obtemperare. De authore tuo loquens Evangelista, *& erat*, inquit, *subditus illis*, haud dubium quin Mariæ & Joseph. Erubesce, superbe cinis; Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis authori. Utinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo. *Vade*, inquit, *post me, satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* (*Ibid.*)

Encomium S. Joseph.

LIX. Conjice tamen ex hac appellatione qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei & dictus & creditus sit: conjice & ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubites interpretari) quis & qualis homo fuerit iste Joseph, simul & memento magis illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum sortitum fuisse, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam. Siquidem ille Joseph fraterna ex invidia venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit. Iste Joseph Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit. Ille Domino suo fidem servans, Dominæ noluit commisceri, iste Dominam suam Domini sui Matrem agnoscens, Virginem & ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum, isti datum est conscium fieri atque participem cælestium Sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo, iste panem vivum e cælo servandum accepit tam sibi quam toti mundo. Non est dubium quin bonus homo & fidelis fuerit iste Joseph, cui desponsata est mater Salvatoris. Fidelis, inquam, servus & prudens quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutricium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum. (*Homil. 2. de Laud. Virg.*)

Joseph augmentum significat.

Maria Maris Stella.

LX. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne

ne avertas oculos a fulgore hujus sideris (MARIÆ) si non vis obrui procellis: si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tentationum, respice stellam, voca Mariam; si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immunitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis: & sic in temetipso experiaris, quam merito dictum sit: *& nomen Virginis Mariæ*. (*Ibid.*) S. BERNAR.

LXI. Solent Virgines, quæ veræ Virgines sunt, semper pavidæ & numquam esse securæ: & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse vivere Angelice inter homines, & in terris more cælestium conversari, & in carne cœlibem agere vitam. (*Homil. 3. de Laud. Virg.*) Virginitas semper cauta.

LXII. Duos Jesus lego in typo hujus quem in manibus habemus, præcessisse, ambos populis præfuisse, quorum unus populum suum de Babylone eduxit, alter suum in terram promissionis introduxit. Et illi quidem illos quibus præerant, ab hostibus defendebant, sed numquid salvabant eos a peccatis eorum? is autem noster Jesus & populum suum salvat a peccatis, & introducit in terram viventium. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Quis est hic qui etiam peccata dimittit? utinam & me peccatorem dignetur Dominus Jesus annumerare populo suo, ut salvum me faciat a peccatis meis. Vere enim beatus populus, cujus iste Jesus Dominus Deus ejus, quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Vereor autem ne multi se profiteantur esse de populo ejus, quos tamen ipse non habeat pro populo suo: vereor ne plerisque qui quasi in populo ejus religiosiores esse videntur, ipse aliquando dicat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Novit enim Dominus Jesus, qui sunt ejus; novit & quos elegerit a principio. *Quid me vocatis*, ait *Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* vis scire an pertineas ad populum ejus, vel potius vis esse de populo ejus? fac quæ dicit Jesus, & computabit te in populo suo. Fac quæ jubet in Evangelio Dominus Jesus, quæ jubet in lege & Prophetis, quæ jubet per Ministros suos qui sunt in Ecclesia; obtempera ejus Vicariis, præpositis tuis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. (*Ibid.*) Josue & Jesus filius Josedech typi J. C. Quis sit populus Dei.

LXIII. Veni interim, Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo, Oratio ad Jesum.

tuo, quod eſt, anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea: venit enim avaritia & vendicat ſibi in me ſedem: jactantia cupit dominari mihi; ſuperbia vult mihi eſſe rex; luxuria dicit, ego regnabo; ambitio, detractio, invidia, & iracundia certant in me ipſo, de me ipſo, cujus ego potiſſimum eſſe videar. Ego autem quantum valeo reſiſto: renitor quantum juvor, Dominum meum Jeſum reclamo, ipſe me defendo, quia ipſius me juris agnoſco. Ipſum mihi Deum, ipſum mihi Dominum teneo, & dico: non habeo regem niſi Dominum meum Jeſum. Veni ergo Domine, diſperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipſe rex meus & Deus meus qui mandas ſalutes Jacob. (*Homil.* 4. *de Laud, Virg.*)

S. BERNAR.

Ornamenta animæ. LXIV. Adorna thalamum tuum, Sion, ſed humilitate, ſed paupertate. In his enim pannis complacet ſibi, & Maria teſtimonium perhibente, his ſericis delectatur involvi: abominationes Ægyptiorum immola Deo tuo. (*Serm.* 1. *in Vigil. Nativit. Domin.*)

Neceſſitates damnoſæ. LXV. Neceſſitates multæ miſeri hujus corporis detinent nos. Viſcus quidam pravi deſiderii, & delectationis terrenæ volare non patitur, & citius retrahit mentem ſi quando relevetur. (*Serm.* 2. *in Vig. Nat. Dom.*)

Laudes humilitatis. LXVI. Studete humilitati, quæ fundamentum eſt cuſtoſque virtutum; ſectamini illam quæ ſola poteſt ſalvare animas veſtras. Quid enim magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cæli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare ſe ſuper terram? intolerabilis impudentiæ eſt, ut ubi exinanivit ſe majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat. (*Serm.* 1. *in Nat. Dom.*)

Jeſus Infans minime terribilis. LXVII. Noli fugere, noli timere, non venit cum armis; non puniendum, ſed ſalvandum requirit: & ne forte dicas nunc: *Vocem tuam audivi, & abſcondi me*. Ecce infans eſt & ſine voce; nam vagienti vox magis miſeranda eſt, quam tremenda, aut ſi cui forte terribilis, non tibi. (*Ibid.*)

Carnalis prudentia mors eſt. LXVIII. Non eſt tale judicium mundi. Aut iſte fallitur, aut mundus errat, ſed divinam falli impoſſibile eſt ſapientiam: merito proinde & carnalis prudentia, mors ſiquidem & ipſa, inimica eſt Deo, & ſæculi quoque prudentia ſtultitia nominetur. Quid enim? Chriſtus utique qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. Et quiſquis aliud docet, vel ſuadet, ab eo tamquam a ſeductore cavendum. (*Serm.* 3. *in Nat. Dom.*)

Lacrymæ Chriſti. LXIX. Plorat Chriſtus, ſed non ſicut cæteri, aut certe non quare cæteri ſolent. In aliis ſenſus, in Chriſto prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpote nec ipſius adhuc uſum voluntatis habentes. Illi ex paſſione lugent, Chriſtus ex compaſſione. Illi jugum grave quod eſt ſuper omnes filios Adæ, Chriſtus filiorum Adæ peccata deplorat: & certe pro quibus nunc lacrymas fundir,

poſtea

postea fundet & sanguinem. O duritia cordis mei! utinam, Domine, sicut verbum caro factum est, cor meum carneum fiat. (*Ibidem*.)

S. BERNARD.

LXX. Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur: pudet itaque, dilectissimi, propriam negligenter dissimulare passionem, cui tantam a majestate tanta video exhiberi compassionem. Compatitur Filius Dei & plorat, homo patitur & ridebit? Sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est.

Peccatorum malitia & gravitas.

LXXI. Neque enim dicitur: omnes viæ ejus sola misericordia, sed *misericordia & veritas*. Non minus justus quam misericors est, cui misericordia & judicium decantatur, verum id quidem, cui vult miseretur, & quem vult indurat: sed quod miseretur proprium illi est, ex se enim sumit materiam & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio, quam animadversio procedere videatur. Ipsum audi dicentem: *Nunquid voluntatis meæ est mors impii*, dicit Dominus, *& non magis ut convertatur & vivat?* Recte igitur non pater judiciorum, vel ultionum dicitur, sed *pater misericordiarum*. Non modo quod pater videatur misereri potius quam indignari, & quemadmodum pater filiorum misereatur timentium se: sed & magis quod miserendi caussam & originem sumat ex proprio, judicandi, vel ulciscendi magis ex nostro. (*Serm. 5. in Nat. Dom.*)

Deus misericors & justus.

LXXII. Quis enim consoletur eos qui suam habent consolationem? Non consolatur Christi infantia garrulos; non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes; non consolantur panni ejus ambulantes in stolis: non consolantur præsepe & stabulum amantes primas cathedras in Synagogis; sed æquanimiter forte universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, lugentibus, pannosis pauperibus, cedere videbuntur. (*Ibid.*)

Jesus Infans consolatio nostra.

LXXIII. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium, & verecundum pariter, & austerum sine ulla necessitate suscepit, nec repulit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa quæ raderetur rubigo non fuit. Nos e contra inverecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est, male proni in vulnera; pejus in remedia verecundi: qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari; nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itane sano opus est medicina, & non potius male habentibus? (*Serm. 1. in Circumc. Dom.*)

Peccatorum falsa verecundia.

LXXIV. Habes ergo unum ex his omnibus appellationibus Jesum: nec omnino aut vocari posset aut esse salvator, si quippiam horum defuisset. Nunquid non vere *admirabilem* eum singuli sumus

Hominis Jesu decora.

experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? hoc nempe est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere quod diligebamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane qui hæc operatur mirabilia. (*Serm.* 2. *in Circumc. Dom.*)

S. BERNAR.

In Christi Cruce gloriandum.

LXXV. *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in Cruce Domini Jesu Christi*. Quid enim nobis gloriosius quam quod tanti æstimavit nos Deus? quæve major illi gloria, quam tanta dignatio & tanta benignitas, eo utique dulcissima, quo tam gratuita? nam pro impiis mortuus est. Videtis quantum fecit, & pro qualibus. Pro qualibus, ut non superbiamus: quantum, ne desperemus, propterea ut inveniamini non spiritum habere hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est, & sciatis quæ a Deo data sunt vobis. (*Serm.* 3. *in Circumc. Dom.*)

Christus remedia peccatorum in se recepit.

LXXVI. Sed quid mirum si caput pro membris accepit curationem, quam tamen in se ipso non habuit necessariam? Nonne & in membris nostris sæpe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit costura; dolent renes, & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite. Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? totus siquidem mihi datus, & totus in meos usus expensus est. Ego enim audiens, quia transit ante carcerem filius magni regis, cœpi altius gemere & miserabilius exclamare, dicens: *Fili Dei, miserere mei*. (*Ibidem*.)

Deus facile nunc placabilis, postea fiet implacabilis.

LXXVII. Denique parvulus est, leviter placari potest. Quis enim nesciat quam puer facile donat? ecce si non fuerit nobis pro minimo, inquam, non tamen sine pœnitentia, sed quia minimum quiddam sit nostra ipsa pœnitentia. Pauperes sumus, parum dare possumus, attamen reconciliari possumus pro parvo illo, si volumus; totum quod dare possum, miserum corpus istud est: illud si dedero, satis est, si quo minus, addo & corpus ipsius. Nam illud de meo est & meum est. Parvulus enim datus est nobis, & filius datus est mihi, de te, Domine, suppleo quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! o satisfactio suavissima. O vere reconciliatio facilis, sed perutilis! satisfactio parva, sed non parvipendenda! etenim quam facilis modo, tam difficilis erit postea: & sicut modo nemo est qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit: quoniam sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem æstimationem, similem expectare possumus judicii districtionem. (*Serm.* 1. *in Epiphan. Dom.*)

Quanta misericordia, tantum judicium.

Orationis alæ duæ.

LXXVIII. Duas igitur alas habeat oratio nostra, contemptum mundi, & afflictionem carnis: nec dubium quin cælos penetret, & dirigatur sicut incensum in conspectu Dei. Erit enim gratum sacrificium & acceptabilis oblatio nostra, in qua cum auro & thure fuerit etiam myrrha, quæ licet amara sit, tamen perutilis est, & con-

& conservat corpus, quod mortuum est propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat. (*Serm.* 3. *Epiphan. Dom.*) S. BERNAR.

LXXIX. Nam & pueris simplicitas naturalis, & cognata Virginibus verecundia est, Omnibus ergo nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis, & gravitas verecunda. (*Ibid.*) Simplicitas & modestia.

LXXX. Est autem justitia quædam stricta & angusta valde: ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadas; nec præponere se æquali, nec æquare præposito. Hujus definitio est reddere unicuique quod suum est. Altera latior & amplior justitia, nec æquare se æquali, nec inferiori præponere: sicut enim grandis & gravis est superbia præferre se æquali, aut æquare præposito, ita magnæ humilitatis est, inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena justitia est se inferiorem exhibere etiam inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis superbia est superiori se præponere, ita inferiori se subdere summa & plena justitia est. (*Serm.* 4. *de Circ. Bapt. & verbo Domini ad Joann.*) Tres Iustitiæ gradus.

LXXXI. Discite ex hoc, fratres, justum judicem Deum; non modo quid, sed & quo animo fiat, considerate; & cavete deinceps ne quis parva reputet, quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. (*Serm.* 1. *in Conv. S. Pauli.*) Levia peccata non contemnenda.

LXXXII. Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat: *quid vis ut faciam tibi?* non ipsi quærant, *Domine quid me vis facere*. Considerare necesse habent ministri Christi, quid sibi præcipi velint, non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum qui non suam sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imo in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. (*Ibid.*) Obedientia D. Pauli imitanda.

LXXXIII. Sed quid, fratres, nos offerimus aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es qui teipsum offerre cuncteris? quis mihi tribuat ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico: utinam hoc tibi perfecte possim sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longeque gloriosius & utilius est, ut tibi magis offeram, quam deseram mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea contrahatur, in te Oblatio Christi pro nobis.

N 4 vero

[redacted] vero exultabit ſpiritus meus, ſi tibi veraciter offeratur. Fratres,

S. BERNAR.

morituro Domino Judæus mortuas Hoſtias offerebat, ſed jam nunc, *vivo ego*, dicit Dominus: *nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat*. Non vult Dominus mortem meam, & non libenter offeram illi vitam meam? hæc eſt enim hoſtia placabilis, Deo placens hoſtia, hoſtia viva. (*Serm. 3. in Purific. Beatæ Mariæ.*)

Quadrageſimale jejunium commendatur.

LXXXIV. Hodie, dilectiſſimi, ſacrum quadrageſimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Chriſtianæ: non nobis ſingularis eſt hæc obſervatio; una omnium eſt, quicumque in eamdem fidei conveniunt unitatem. Quidni commune ſit Chriſti jejunium omnibus Chriſtianis? quidni caput ſuum membra ſequantur? ſi bona ſuſcepimus ab hoc capite, mala autem quare non ſuſtineamus? an reſpuere triſtia volumus, & communicare jucundis? Si ita eſt, indignos nos capitis hujus participatione probamus; omne enim quod patitur ille, pro nobis eſt; quod ſi in opere ſalutis noſtræ collaborare piget, in quo deinceps coadjutores nos exhibebimus illi? Non eſt magnum, ſi jejunet cum Chriſto, qui ſeſſurus eſt ad menſam Patris cum ipſo. Non eſt magnum ſi compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum eſt. (*Ser. 1. in capit. jejunii.*)

Cauſa triſtitiæ & gaudii.

LXXXV. Sed & ea quoque, quæ ſecundum carnem eſt triſtitia, mortem operatur. Si pro tuo ſive proximi peccato doles, bene facis; & hæc triſtitia eſt ad ſalutem. Si gaudeas ad munera gratiæ, hoc gaudium ſanctum eſt, & ſecurum gaudium in Spiritu ſancto. Debes & in dilectione Chriſti, fraternis congaudere proſperitatibus, & adverſitatibus condolere. (*Serm. 2. in Cap. jejun.*)

Pœnitentia exterior ad interiorem diſponit.

LXXXVI. Volo tamen vos admonitos eſſe fratres meos, obſervandum illud non ab eſcis tantum, ſed ab omnibus illecebris carnis, & univerſa corporis voluptate. Imo vero jejunandum longe amplius a vitiis quam a cibis. Sed eſt panis a quo vos jejunare nolo, ne forte deficiatis in via; & ſi neſcitis, panem dico lacrymatum. Sequitur enim: *in jejunio, & fletu, & planctu*. Exigit enim planctum a nobis pœnitentia præteritæ converſationis; exigit fletum deſiderium futuræ beatitudinis. *Factæ ſunt mihi lacrymæ meæ, panes die ac nocte*, ait Propheta, *dum dicitur mihi quotidie: ubi eſt Deus tuus?* parum ei placet hujus vitæ novitas, quæ necdum vetera plangit, necdum plangit admiſſa peccata, necdum plangit tempus amiſſum. Si non plangis, plane non ſentis animæ vulnera, conſcientiæ læſionem. Sed nec futura ſatis gaudia concupiſcis, ſi non quotidie ſatis poſtulas ea cum lacrymis. Minus tibi nota ſunt, ſi non renuit conſolari anima tua, donec veniant. (*Ibidem.*)

Sciſſio cordis.

LXXXVII. Poteſt tamen & aliter intelligi hæc ſciſſio cordis; ut ſi quidem pravum fuerit, ſcindatur ad confeſſionem: ſi durum, ad compaſſionem. (*Ibid.*)

Jejunium quadrageſimale uſque ad veſperas.

LXXXXIII. Rogo vos, dilectiſſimi, tota devotione ſuſcipite quadrageſimale jejunium, quod non ſola abſtinentia commendat, ſed mul-

multo magis sacramentum. Nam si devote usque modo jejunavimus, utique sancto hoc tempore jejunandum est nobis multo devotius. Si quid enim additur ad solitum abstinentiæ modum, nunquid non valde indignum est, ut nobis onerosum sit, quod Ecclesia portat universa nobiscum? Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt vobiscum pariter universi Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper. Hæc idcirco dixerim, fratres, ne quis forte turbetur a pusillanimitate spiritus, & jejunium præsens quis minori devotione suscipiat, dum se fortassis meminerit prioris quoque jejunii pondus satis difficile tolerasse. (*Serm.* 3. *de jejunio Quadrag.*) S. BERNAR.

LXXXIX. Jam vero si commendant jejunium præsens Moyses & Elias, quamvis magni, tamen conservi nostri, quantum commendat illud Jesus Dominus noster, qui & ipse diebus totidem jejunavit? Denique tanto devotius imitandum nobis est, dilectissimi, Christi jejunantis exemplum, quanto certius est pro nobis eum jejunasse, non propter seipsum. (*Ibid.*) Jejunium Moysi, Eliæ, & Christi.

XC. Continnanda nobis est quadragesima cunctis diebus hujus miseræ vitæ, dum per auxilium gratiæ necesse est nos Decalogum legis implere. Errant plane qui paucissimos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt, cum certum sit totum vitæ hujus tempus non nisi ad pœnitentiam institutum. (*Ibid.*) Pœnitentia tota vita peragenda.

XCI. Quod si gula sola peccavit, sola quoque jejunet & sufficit. Si vero peccaverunt & membra cætera, cur non jejunent & ipsa? Jejunet ergo oculus qui deprædatus est animam, jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus a curiosis aspectibus, & omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens a fabulis & rumoribus & quæcumque otiosa sunt, & ad salutem minime pertinentia. Jejunet lingua a detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis: interdum quoque ob gravitatem silentii & ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis & ab operibus omnibus quæcumque non sunt imperata. Sed & multo magis anima ipsa jejunet a vitiis & a propria voluntate sua. (*Ibidem.*) Omnia membra jejunio obstricta.

XCII. Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, & Domino repræsentat. (*Serm.* 4. *in Quadr.*) Oratio cum jejunio.

XCIII. Profundum est cor hominis & imperscrutabile, Sed si magna est iniquitas mea, multo major est, Domine, pietas tua. (*Ibid.*) Magna Dei pietas.

XCIV. Quæ vero fidelis & humilis, & fervens oratio fuerit, cælum sine dubio penetrabit, unde certum est quod vacua redire non poterit. (*Ibid.*) Orationis conditiones.

XCV. Ipsi gestamus laqueum nostrum, ubique proprium circumferi- Caro hostis.

S. BERNAR. ferimus inimicum; carnem hanc loquor de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origine, sed multo amplius prava consuetudine vitiatam. (*Serm. 5. in Quadr.*)

Quomodo Deus orantes exaudiat. XCVI. Nemo vestrum, fratres, parvi pendat orationem suam. Dico enim vobis quia ipse, ad quem oramus, non parvi pendit eam: priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi jubet eam in libro suo; & unum indubitanter e duobus sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius: nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed miseretur ille super ignorantia nostra, & orationem benigne suscipiens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam cito dari necesse est minime tribuit: oratio tamen infructuosa non erit.... tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties ignorans quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud utiliori dono. (*Ibidem.*)

Regulæ orationis. XCVII. Sit oratio, quæ pro temporalibus est circa solas necessitates restricta; sit oratio, quæ pro virtutibus est animæ etiam ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intenta; sit ea quæ fit pro æterna vita in omni humilitate præsumens de sola, ut dignum est, miseratione divina. (*Ibid.*)

Dei præsentia. XCVIII. Expedit omni animæ Deum semper attendere tanquam proprium, non modo adjutorem: quomodo enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? (*Serm. 2. in Psalm. Qui habitat.*)

Pœnitentia quomodo fiat dulcis. XCIX. Durum vobis videtur, cum dicitur: *agite pœnitentiam*: erratis, sed audituri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum: *Ite, maledicti, in ignem æternum*. (*Serm. 3. Ibid.*)

Judicium Dei prævenire. C. Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quam judicandum astare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto judice sententiam. *Horrendum est*, ait Apostolus, *incidere in manus Dei viventis*. Judicemur interim, fratres; & terribilem illam expectationem præsenti studeamus declinare judicio. (*Serm. 8. Ibid.*)

J. C. spes nostra. CI. Quicquid agendum sit, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es, Domine, spes mea: hæc mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. (*Serm. 9. Ibid.*)

Dei misericordia refugium nostrum. CII. Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuscumque modi necessitatem, aperta est nobis urbs confugii.... patent viscera misericordiæ Dei nostri. (*Ibid.*)

Quomodo caro amanda. CIII. Nec sane dixerim ut vel ipsam odio habeas carnem. Dilige eam tamquam tibi datam in adjutorium & ad æternæ beatitudinis consortium præparatam: sic amet anima carnem ut non ipsa in carnem transisse putetur. (*Ibid.*)

Angelo Custodi honor. CIV. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis; in quovis diversorio, in quovis

vis angulo angelo tuo reverentiam habe. Tunc audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. (*Serm. 12. Ibid.*) S. BERNAR.

CV. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus: redamemus eos, honoremus eos.... totus tamen ei reddatur & amor & honor noster, a quo tam ipsis quam nobis est totum, una honorare possumus, vel amari, honorarive meremur. (*Ibid.*) Idem.

CVI. Nolite irasci eis qui transitoria vobis auferunt, qui ingerunt forte supplicia, & præter hæc faciunt nihil. Ostendunt autem vobis cui debeatis irasci: irascimini ei quæ sola vobis nocere potest, sola facere ut omnia illa non prosint. Vultis scire quænam illa sit? iniquitas propria. Ita dico vobis, huic irascimini. (*Serm. 13. Ibid.*) Ira justa.

CVII. Fecit te Deus, fecit tam multa propter te, fecit propter te & semetipsum; *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Quid adhuc restat? factus est ipse tecum una caro, te quoque secum faciet spiritum unum: non recedant hæc quatuor a corde tuo, non ab ore, non a memoria, non ab affectione: hæc cogita semper, in his jugiter delectare. (*Serm. 14. Ibid.*) Memoria beneficiorum Dei.

CVIII. *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum...* non dicit: dignus fuit, justus & rectus fuit, innocens manibus & mundo corde, propterea liberabo, protegam & exaudiam eum; si enim hæc aut similia diceret, quis non diffideret?.... Dulcis lex quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis.... in Dei auribus desiderium. (*Serm. 16. Ibid.*) Clamor ad Deum utilis.

CIX. Mirabilis Passio tua, Domine Jesu, quæ passiones omnium nostrum propulsavit, propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli unquam pesti nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte salvatur. (*Serm. de Passio. Domini.*) Passionis Christi fructus.

CX. Originale delictum totum non modo genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum.... Sed & aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua sua quemque concipit, usque ad eam qua communis eum recipit mater... in sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur; ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus... primam vocem plorationis edimus, merito quidem, utpote vallem plorationis ingressi. (*Ibid.*) Originale peccatum omnibus commune.

CXI. Mira res! Jesus clamat, *ignosce*; Judæi: *crucifige*.... quomodo potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic profundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ? (*Ibidem.*) Amor eximius J. C.

CXII. Sacramentum Dominici Corporis, & Sanguinis pretiosi... duo... operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori Duplex Eucharistiæ effectus.

pori

pori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem. (*Ibidem.*)

S. BERNAR.

Pascha aliquibus tempus peccandi. CXIII. Proh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi facta est Resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitia repetuntur & laxantur concupiscentiæ fræna, quasi vero ad hoc surrexerit Christus; & non propter justificationem nostram. (*Serm. in die Paschæ.*)

Fuga occasionis peccati. CXIV. Non satis cecidisse piget hominem, qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit: sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis. (*Ibid.*)

Pastoris animæ officia. CXV. Petrus mandatum accepit tertio pascere gregem Domini: pasce, inquit, mente, pasce ore, pasce opere: pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. (*Serm. 2. temp. Pasch.*)

Spiritus Dei omne leve efficit. CXVI. Spiritus Jesu Christi bonus, Spiritus sanctus, Spiritus, rectus, Spiritus dulcis, Spiritus principalis quicquid in hoc sæculo nequam videtur difficile & angustum, leve facit & latum, opprobrium gaudium judicat, despectionem exaltationem esse persuadet. (*Serm. 3. in Ascension.*)

Bona æterna perpendenda. CXVII. Quid grave illi poterit videri, qui semper mente tractat, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt.... æterna præmia? (*Serm. 4. Ibid.*)

Omnia habemus in Maria. CXVIII. Beatam, Maria, te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt; in æternum merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creaverat, recreavit. (*Serm. 2. in Pentecoste.*)

Dei voluntas implenda. CXIX. *Domine quid me vis facere?* O verbum breve, sed plenum, sed vivum & efficax, sed dignum omni acceptione. Quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant! (*Serm. 1. de convers. S. Pauli.*)

Utilitas societatis. CXX. *Ingredere civitatem, ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* O sapientia suaviter vere universa disponens, eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, ut socialis vitæ commendetur utilitas, & edoctus per hominem, discat & ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subvenire. (*Ibid.*)

Dei Misericordia communis. CXXI. In medio templi misericordia est, non in angulo, aut diversorio: quia non est acceptio personarum apud Deum: in communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit. (*Serm. in Purificat.*)

In virtute semper proficiendum. CXXII. Si quis forsitan proficere dissimulat, & proficisci de virtute

tute in virtutem, noverit quisquis hujusmodi est, in statione, non in processione se esse, imo vero & in regressione, quoniam in via vitæ non progredi, regredi est. (*Serm. 2. Ibid.*) S. Bernar.

CXXIII. Sermo vivus & efficax exemplum operis est, plurimum faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. (*In natali S. Benedicti Serm.*) Boni exempli utilitas.

CXXIV. Non solus mundus habet delectationem, sed multo major est in verbis tuis, unde & Propheta ait: quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.... non solum ipsa vita, sed & promissio vitæ æternæ, & expectatio justorum lætitia est, & tanta lætitia, ut omne quod concupiscitur, ei non valeat comparari. (*Ibid.*) Verbum Dei dulce.

CXXV. Necesse est primo omnium credere quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, deinde quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse; postremo quod æternam vitam nullis potes operibus promovere, nisi gratis tibi dentur & illa.... merita omnia dona Dei sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quam Deus homini. (*Serm. 1. in Annuntiatione.* Remissio peccatorum per misericordiam Dei.

CXXVI. Prior justitiæ portio, non peccare; secunda, per pœnitentiam damnare peccatum. (*Ibid.*) Justitiæ qualitates.

CXXVII. Rex ille dives & prædives exinanitur; excelsus humiliatur; immensus abbreviatur, & Angelis minoratus est, verus denique Deus, & Dei Filius incarnatus: sed quo fructu? nempe ut omnes qui paupertate locupletamur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus Incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo. (*Serm. 3. Ibid.*) Fructus Incarnationis.

CXXVIII. Quicquid oculis cernitur, quicquid huic corporeæ luci subjacere videtur, quid illud, nisi vapor ad modicum parens? quid illud, nisi fœnum, & flos fœni? (*In Nativit. Sancti Joan. Bapt. Serm.*) Res mundanæ viles.

CXXIX. Interrogemus conscientias nostras, & animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum possimus evadere judicium Dei viventis. Quicquid vero minus est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Fidelis enim Deus; & si confiteamur iniquitates nostras, si miserias nostras exponamus, si non excusemus infirmitates nostras, dimittet nobis peccata nostra. (*Ibid.*) Pœnitentia sit humilis.

CXXX. Est consentire, silere, cum arguere possis; & scimus, quia similis pœna facientes maneat & consentientes. (*Ibid.*) Silentium perniciosum.

CXXXI. Deus, certum est, quod peccata remittere possit, sed utrum velit, adhuc in quæstione est. Vult profecto, quia sponsus est, quia amabilis est.... & licet velit gloriosam sponsam sine macula, aut ruga, aut aliquid hujusmodi, non tamen quærit talem; ubi enim illam inveniret? sed talem potius ipse facit. (*Ibidem.*) Deus sanctitatis auctor.

CXXXII. Tria sunt quæ in festivitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem no- Tria in festis SS. consideranda.

S. BERNAR. nostram! auxilium ejus; quia qui potens in terra fuit, potentior est in Cælis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum viveret misertus est peccatoribus, & oravit pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit .... debemus etiam attendere .... humilitatem operum ejus .... quomodo tam verbo quam exemplo duxerit inter homines .... Sed & diligentiori intuitu confusionem nostram inspiciamus, quia homo ille similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus; ex qua est quod non solum difficile, sed & impossibile credimus ut faciamus opera quæ fecit? (*In vigilia SS. Petri & Pauli*, *Serm.*)

Quænam sit vera vita. CXXXIII. Quid docuerunt, vel docent nos Apostoli sancti?... docuerunt me vivere. Putas parva res est, scire vivere? magnum aliquid, immo maximum est: non vivit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus: quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto & mala pati, & bona facere, & sic perseverare usque ad mortem. (*Serm.* 1. *in Festo SS. Petri & Pauli*.)

Tribulationes a quibus progrediantur. CXXXIV. Est quod a te pateris, quod a proximo, quod a Deo. Primum, est austeritas pœnitentiæ; secundum, vexatio alienæ malitiæ; tertium, flagellum correctionis divinæ. In eo quod a te pateris, debes voluntarie sacrificare; quod a proximo, patienter ferre; quod a Deo, sine murmure, & cum gratiarum actione sustinere. (*Ibid.*)

Verbum Dei quomodo audiendum. CXXXV. Benigne audiendum, devote suscipiendum, sollicite conservandum, quicquid ad animarum salutem pertinet, & non sicut verbum hominum, sed sicut (quod vere est) verbum Dei, sive illud consolatorium, sive commonitorium, sive etiam increpatorium audiatur. (*Serm.* 2. *Ibidem*.)

De nobis diffidentia. CXXXVI. Universa, quæ nobis imminere videntur, pericula, sedula nobiscum cogitatione versantes discamus de nostra omnino industria, magis autem de nostris diffidere meritis, & soli divinæ nos protectioni committere, pio quodam mentis affectu in ipsum cujus datum optimum, & donum perfectum est consummatio felix & mors pretiosa. (*Ibid.*)

Post pœnitentiam humilitas. CXXXVII. Ad Dominum jam conversos non nimis cruciet prætéritorum conscientia delictorum, sed tantum humiliet vos. (*Serm.* 3. *Ibid.*)

Peccatores recidivi timeant. CXXXVIII. Eorum qui peccant antequam Deum noverint, antequam miserationes ejus experti sint, antequam portaverint jugum suave & onus leve, priusquam devotionis gratiam & consolationes acceperint Spiritus sancti, eorum, inquam, copiosa redemptio est... ut eorum qui post conversionem suam peccatis & vitiis implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, & post missam manum ad aratrum retro respiciunt, tepidi & carnales facti, aut post agnitam viam veri-

veritatis retro eunt, apostatæ manifesti eorum; utique perpaucos invenias qui post hæc redeant in pristinum gradum. (*Ibid.*) S. BERNAR.

CXXXIX. Nemo ex vobis super peccatis præteritis ultra quam necesse sit confundatur.... quid enim forte peccasti in sæculo? numquid amplius Paulo? quod si & in ipsa Religione, numquid plus Petro? attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modo salutem, sed & sanctitatem consecuti sunt, etiam & salutis ministerium, & magisterium adepti sunt sanctitatis: & tu ergo fac similiter. (*Ibid.*) Fiducia in Deo.

CXL. Maria Regina Cælorum est, misericors est, denique Mater unigeniti filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus, seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas novem mensibus corporaliter requievit. (*Serm.* 1. *in Assumpt.*) Fiducia in Virginem Mariam.

CXLI. Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit; forte meliorem, qui bene vacaverit Deo; optimum autem, qui perfectus est in utroque. (*Serm.* 3. *Ibid.*) Tres bonitatis gradus.

CXLII. Oportet te, frater, ad quem de fabricanda, seu regenda inter undas diluvii Noe arca nihil spectat, aut virum esse desideriorum, ut Daniel erat, aut cum beato Job virum dolorum, & scientem infirmitatem. (*Ibid.*) Subditorum officia.

CXLIII. Simplex esto, non tantum sine dolo & simulatione, sed & absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit sermocinatio ejus, cujus & vox dulcis, & facies decora. Unum cave ne abundare incipias in sensu tuo, & velis plus sapere quam oportet sapere, ne forte dum lucem sectaris, impingas in tenebras illudente tibi dæmonio. (*Ibid.*) Vera simplicitas.

CXLIV. Bona fœcunditas conjugalis, melior autem castitas virginalis; prorsus autem optima est fœcunditas Virginea, seu fœcunda Virginitas. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri... quid si & illud adjicias, cujus Mater, quæ jam poterit lingua, etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, Matrem autem non cujuscumque, sed Dei? duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum; sed digne prorsus aptissimeque conveniens: neque enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. (*Serm.* 4. *Ibid.*) Mariæ privilegia & dignitas.

CXLV. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. (*Idem.*) Ejus invocatio utilis.

CXLVI. Opus est Mediatore ad Mediatorem, nec alter nobis utilior quam Maria. (*Serm.* 5. *Ibid.*) Idem.

CXLVII. Si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano. (*Ibid.*) Idem.

CXLVIII. *Pater noster qui es in Cælis....* fidelis oratio, cujus ipsa Orationis dominicæ excellentia.

ipsa primordia, & divinæ adoptionis, & terrenæ peregrinationis

S. BERNAR. admoneant, ut hoc scientes, quod, quamdiu non sumus in Cælo, peregrinamur a Domino, gemimus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes, præsentiam utique Patris. (*Serm. in Nativitate Mariæ.*).

Patrocinium Deiparæ. CXLIX. Ad Patrem verebaris accedere... Jesum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat... an vero trepidus & ad ipsum, frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit; sed forsitan & in ipso Majestatem vereare divinam: quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus; Advocatum habere vis, & ad ipsum; ad Mariam recurre.... exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potest ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri Filius potest? (*Ibid.*)

Longanimitas. CL. In multis tentat te Dominus Deus tuus: declinat sæpius, avertit faciem; sed non in ira: probationis istud est, non reprobationis; sustinuit te dilectus, sustine & tu dilectum, sustine Dominum, viriliter age. Non illum vicere peccata tua, te quoque ipsius flagella non superent. (*Ibid.*)

Charitas Angelorum. CLI. Ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum propter Deum, propter nos, propter seipsos: propter Deum utique, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur; propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur; propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. (*In Festo S. Michaelis, Serm. 1.*)

Timor judiciorum Dei. CLII. Si districte judicetur, injusta invenietur omnis justitia nostra, & minus habens: quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere justitia? Propterea obnixe cum Propheta clamantes: *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine*, tota humilitate ad misericordiam recurramus. (*In Festo omnium Sanctorum, Serm. 1.*)

Officia erga proximum. CLIII. Nunquam propter alium homo peccet, quod est justitiæ: & libenter aliena peccata portet, quod est misericordiæ. (*Ibid.*)

Sanctorum intercessio utilis. CLIV. Nec sane parum fructuosa invenitur memoria festiva Sanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens: cum eorum intercessione juvetur infirmitas nostra consideratione beatitudinis, excitetur negligentia nostra, ignorantia quoque nostra ipsorum erudiatur exemplis. (*Ibid.*)

Idem. CLV. Ad quid Sanctis laus nostra? ad quid glorificatio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solemnitas?... quo eis præconia nostra? pleni sunt. Prorsus ita est, dilectissimi; honorum nostrorum Sancti non egent, nec quicquam eis nostra devotione præstatur, plane quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum.

rum. Vultis scire quantum intersit nostra? ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari... Singulorum quippe recordationes devotos accendunt animos, ut eorum & conspectum sitiant & complexum. (*Serm.* 5. *Ibid.*) S. BERNAR.

CLVI. Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur.... pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura, non tam honoris sit quam irrisionis. (*Ibid.*) Christi imitatio.

CLVII. Multo plures prosperitatis fallaciæ, quam adversitatis flagella dejiciunt. (*In transitu S. Malachiæ, Serm.* 1.) Prosperitas periculosa.

CLVIII. Non beatos prædicat sermo divinus qui mortuos suscitant, cæcos illuminant, morbidos sanant, leprosos mundant, paralyticos curant, dæmonibus imperant, futura prænunciant, miraculis coruscant; verum pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes & sitientes justitiam, misericordes, mundo corde, pacificos, persecutionem propter justitiam sustinentes. (*In Festo Sancti Martini, Serm.*) Quinam vere beati.

CLIX. Sanctorum festa præcipua Patrum sanxit auctoritas votivis prævenienda jejuniis, utiliter plane.... multa siquidem quoti die peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes, nec tutum omnino est celebrandas suscipere festivitates sacras, maximeque eas, quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo & digniores, & capaciores inveniamur spiritualium gaudiorum. (*In Vigil. Sancti Andreæ, Serm.*) Cur Sanctorum vigiliæ institutæ.

CLX. Non modo præparatio est ad proximam celebritatem observatio præmissa jejunii; est & admonitio quædam, eruditioque non parva: discimus ex hoc ipso quænam sit via festivitatis internæ. Quid est enim quod jejuniis solemnia prævenimus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei? (*Ibidem.*) Idem.

CLXI. Crux pretiosa est, Crux amari potest, Crux habet exultationem. Ita est, fratres mei, si fuerit qui colligat, semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. (*In Festo Sancti Andreæ, Serm.* 1.) Fructus Crucis jucundi.

CLXII. Triplicem licet considerare gradum, incipientium, proficientium, perfectorum: initium enim sapientiæ timor Domini, medium spes, charitas plenitudo... (*Ibid.*) Triplex perfectionis gradus.

CLXIII. *Pater, si fieri potest, transeat, &c.* Agnosco plane in Duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in Medico.... considero caritatem, stupeo miserationem. (*Ibidem.* Christi in horto agonia.

CLXIV. Dicit patientia: sic oportet fieri, quia timore urgetur; dicit voluntas bona: sic expedit, & sic agendum est, quia spei attrahitur ratione: caritas vero quæ inflammatur a spiritu, neque sic oportet dicit, neque sic expedit: sed sic volo, inquit, sic cupio, sic desidero vehementer. Videtis quanta sublimitas, videtis Charitatis efficacia.

S. BERNAR. quanta securitas, quantaque suavitas charitatis. Felix anima, quæ ad hunc charitatis pervenerit statum. (*Ibid.*)

Meditatio & oratio. CLXV. Meditatio docet quid desit, oratio ne desit obtinet; illa viam ostendit, illa deducit: meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus. (*Ibid.*)

Desiderium gratiæ amplioris. CLXVI. Quæramus ut dona sua multiplicet in nobis Deus, & Spiritum suum augeat qui jam primitias dedit: nullum enim omnino præsentiæ ejus certius testimonium est, quam desiderium gratiæ amplioris. (*Serm.* 2. *Ibid.*)

Orationis effectus. CLXVII. Petitis, & non accipitis, eo quod negligenter petatis: nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi ut sedule, & cum desiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat, & hortatur ut petant. (*Ibid.*)

Crucis suavitas. CLXVIII. Non est, sine Cruce sequi Christum; & sine unctione Crucis asperitatem ferre quis posset? hinc est quod multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam, Crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. Vos qui experti estis, ecce ipsi scitis, quia vere Crux nostra inuncta est, & per gratiam Spiritus adjuvantis suavis & delectabilis est pœnitentia nostra, & ut ita dicam amaritudo dulcissima. (*In Dedicatione Ecclesiæ*, *Serm.* 1.)

Humanæ miseriæ. CLXIX. Quid necesse est singulas *animæ* miserias numerare, quam sit onerata peccatis, offusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis & ignominiæ plena? nimirum si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ velut pannus menstruatæ inveniuntur, injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod in nobis est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? (*Serm.* 5. *Ibid.*)

Non dissimulandæ. CLXX. Excludit miseriæ dissimulatio miserationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præsumptio dignitatis: provocat vero compassionem humilis confessio passionis. (*Ibid.*)

Reverentia in Templo. CLXXI. Quomodo esse debemus in Ecclesia? in quanta reverentia stare in loco illo ubi Deus est operans & servans, Angeli ascendentes & descendentes?... Hæc sunt quæ exiguntur a nobis, præteritorum pœnitudo peccatorum, & futurorum expectatio præmiorum. (*Ibid.*)

Amoris divini effectus. CLXXII. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum....* Molestia, morbus, & ipsa mors, etiam & peccatum, quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. An vero ei peccata ipsa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, sollicitior, timoratior, & cautior invenitur? (*Ibid.*)

Breves tribulationes & gloria æterna. CLXXIII. Quod tribulationis est, momentaneum est & leve; quod gloriæ, æternum est, & pondus etiam supra modum in sublimitate. Quid in incertum tibi dies & annos numeras? transit hora, transit & pœna, nec accedunt sibi, sed cedunt potius & succedunt.

dunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris: nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul, & manet in æternum. (*Ibid.*) S. BERNAR.

CLXXIV. Quanto quis ad altiora profecerit, tanto gravius, si corruerit, colliditur, quando ruit. (*Ibid.*) Sublimitas periculosa.

CLXXV. *Domine, salvum me fac*, quare? forte ne ardeat in inferno, forte ne fraudetur præmio? *non*, inquit, sed *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*. Non, inquit, quæro salutem, ut pœnas vitem, aut in Cœlo regnem; sed ut te in æternum laudem... Servus dicit: *vadam ad portas inferi*. Mercenarius: *non videbo Dominum Deum in terra viventium*. Filius: *Psalmos nostros*, &c.... & qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre, propter quietem sui, uterque profecto quærit quæ sua sunt. Porro qui Psalmos cantare desiderat in domo Domini, non sua, vel lucra appetit, sed illum procul dubio diligit, quem laudare gestit cunctis diebus vitæ suæ. (*Ibid.*) Discrimen servi, mercenarii, & filii in cupienda beatitudine.

CLXXVI. Ecce enim quid loquitur Deus? *Agite*, inquit, *pœnitentiam*. Et dissimulant multi, & continent aures suas, & dicunt; durus est hic sermo. Non sic impii, non sic dissimulare poteritis, cum sonabit asperum illud verbum & auditio mala: *ite, maledicti, in ignem æternum*.... Utilius namque & multo salubrius est hodie audire eum consulentem, consolantem, admonentem, docentem, &, ut multum, arguentem, increpantem, corripientem, quam in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem.... nunc si quid amaritudinis sentio in voce ejus, non sine dulcedine est: *quoniam cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur*: imo vero & ipsa indignatio non aliunde quam de misericordia est. (*Serm.* 5. *Ibid.*) Agenda pœnitentia ad pœnas æternas vitandas.

CLXXVII. Optimam partem elegit Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conversatio Marthæ, sed de electione Maria laudatur, quoniam illa quidem omnino (quod ad nos spectat) eligenda: hæc vero si injungitur, patienter est toleranda. Quod ad Prælatos pertinet, utraque vita necessaria est. Et ipsorum est utrique providere, & copulare sibi parietes a diverso venientes, quoniam angularis lapidis (qui est Christus Jesus,) Vicarii constituti sunt. Nec dubium quin longe periculosior sit cæteris eorum administratio. Tamen si bene administraverint, gradum bonum sibi acquirent & majorem abundantiam, & supereffluentem mensuram accipient pacis. (*Serm.* 9. *Ibid.*) Vita activa & contemplativa. Prælati utraque indigent.

CLXXVIII. *Fili, memorare novissima, & in æternum non peccabis*.... Recole primordia, attende media, memorare novissima tua. Hæc pudorem adducunt, ista dolorem ingerunt, illa metum incutiunt. Cogita unde veneris, & erubesce; ubi sis, & ingemisce; quo vadas, & contremisce. (*Serm.* 12. *Ibid.*) Memoria novissimorum.

CLXXIX. Sic se habent universa sub sole, ut nihil sit in eis vere jucundum. (*Ibid.*) Nulla in hac vita jucunditas.

O 2 CLXXX.

S. BERNAR.

Officia ergo Deum, Sanctos, Angelos & proximos.

CLXXX. Nos Deo & amorem debemus & subjectionem cum omni reverentia & humilitate: amorem quia fecit nos, & benefecit nobis; subjectionem, quia super nos est & hoc præcipit nobis, terribilis in consiliis super filios hominum. Ita ergo & sanitatem corpori, puritatem cordi, pacem fratri, imitationem Sanctis, compassionem mortuis debemus. Auxilium ab Angelis, pietatem a Deo postulemus. (*Serm. 16. Ibid.*)

Temporis pretium.

CLXXXI. Nemo vestrum, fratres, parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Siquidem tempus acceptabile est & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora; donec pertranseat tempus, donec hora prætereat quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio conditoris indulget. (*Serm. 17. Ibid.*)

Pax quomodo habenda.

CLXXXII. Si recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, sis humilis ad veniam petendam: si tu habes adversus illum, sis facilis ad dandam, & omnia membra erunt in pace. (*Serm. 19. Ibid.*)

Scientia Sanctorum & malorum.

CLXXXIII. Scientia Sanctorum est hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum; & in contrarium scientia malorum relabitur. (*Serm. 21. Ibid.*)

Quænam a Deo petenda, & quomodo.

CLXXXIV. At vero temporalia si defuerint, petenda quidem sunt, quantum necessitas humana requirit: sed juxta beati Gregorii sententiam, non sunt hæc nimirum requirenda. In quo genere etiam illa spiritualia sunt, sine quibus nihilominus salus constare potest, ut sermo scientiæ, gratia curationum, omniaque de quibus certum non habemus quid expediat nobis: utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea ut auferatur a te; sed non nimis obnixe, quoniam in talibus meminisse semper oportet Apostolicæ illius sententiæ: *nos enim quid oremus sicut oportet nescimus.* Et Deo magis committere, quam temere aliquid aqud nos definire. (*Serm. 25. Ibid.*)

Vera humilitas.

CLXXXV. Quid ergo restat, nisi ad humilitatis remedia tota mente confugere, & quidquid in aliis minus habemus, de ea supplere?... Porro totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra, divinæ, ut dignum est, subjecta sit voluntati, sicut ait Propheta: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?....* At vero subjectionem istam triplicem esse necesse est, ut quod certum est Deum velle, id nos velimus omnino; & quod certum est eum nolle, similiter execremur & nos. Quod autem incertum est utrum velit aut nolit, neque velimus ex toto, neque penitus non velimus. (*Serm. 26. Ibid.*)

Obedientiæ utilitas.

CLXXXVI. Si quis facere cogitat unde mandatum certum non habet, si voluntatem suam suspensam tenuerit, donec Prælatum interroget, & ab eo quærat Domini voluntatem, cui vice ipsius obedit, non turbabitur quidquid ei præcipiatur: quoniam pax mul-

ta di-

ta diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. (*Ibidem.*) S. BERNAR.

CLXXXVII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua;* id est, diliges dulciter, sive affectuose, diliges prudenter, diliges fortiter. (*Serm.* 29. *Ibid.*) Dilectio Dei.

CLXXXVIII. Nusquam est securitas, fratres, neque in Cælo, neque in Paradiso, multo minus in mundo. In Cælo enim cecidit Angelus sub præsentia Divinitatis. Adam in Paradiso de loco voluptatis. Judas in mundo de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur, locus iste sanctus est; quia non locus homines, sed homines locum sanctificant. (*Serm.* 30. *Ibid.*) Nulla in terris securitas.

CLXXXIX. Ordo conjugatorum est qui maxime mare magnum vado pertransit: laboriosum prorsus etiam & periculosum, & longum habens iter, quippe qui nulla viæ compendia captet. Nam quod periculosum sit iter, in eo patet quod tam multos in eo perire dolemus, tam paucos videmus sicut necesse est pertransire. Valde enim difficile est, præsertim diebus istis quibus malitia nimis invaluit, inter undas hujus mundi, voraginem vitiorum, & criminalium peccatorum foveas declinare: at continentium quidem ordo & ponte pertransit; quod iter brevius & facilius, & securius esse nemo est qui nesciat. (*Serm.* 35. *Ibid.*) Conjugum pericula.

CXC. Veritas est Deus, & tales quæsitores requirit, qui quærunt eum in spiritu & veritate. Si nolumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter. (*Serm.* 37. *Ibid.*) Deus quomodo quærendus.

CXCI. Principales viæ tuæ, sunt duæ: confessio & obedientia; in confessione omnia lavantur, in obedientia virtutes solidantur. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & justum reddit purgatiorem. Si peccata sunt, in confessione lavantur; si bona, confessione commendantur: cum mala tua confiteris, sacrificium Deo spiritus contribulatus: cum Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis: absque confessione justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur: Confessio igitur est peccatoris vita, justi gloria. (*Serm.* 40. *Ibid.*) Salutis duæ viæ principales.

CXCII. Post cognitionem sui, post pœnitentiam mentis, post dolorem cordis, sequitur confessio oris. In his omnibus corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Sed & ipsa triplex est, si virtutem salutis adsequitur, debet enim esse vera, nuda & propria.... An tu veram illam putas esse confessionem, quam aut timor extorsit, aut simulatio fecit: *cum Spiritus sanctus Disciplinæ effugiat fictum*, & gratuitam satisfactionem Omnipotens quærat? illa vero confessio vera est, quæ de mentis contritione descendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur; sed in spiritu contribulato profert ea quæ sentit. Nudam autem eam esse oportet, & totius absconsionis exutam velamine; quid enim prodest, Regulæ pro Confessione.

S. BERNAR. partem peccatorum dicere, & partem celare; ex parte mundari, & ex parte immunditiæ deservire?... Ostende, & denuda quæcumque cor tuum dilacerant: detege vulnus, ut sentias operam medicantis. *In simplicitate cordis oportet te quærere Dominum, non in duplicitate; quia væ illis qui loquuntur in corde, & terram duabus viis ingrediuntur.* Debet autem esse propria: sunt plerique qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, & sociorum excessus multiformi declamatione loquuntur; nesciunt sua, aliena vero perpetuæ memoriæ commendaverunt. Infelices & miseri, quibus datum est aliena plangere, relinquere sua.... Quintus gradus est maceratio carnis; sed & ipsa ternario numero consecrata. Convenit enim ut fiat occulte, licentiose, discrete: teneros artus tuos & exquisitis educatos deliciis diuturno confringe martyrio, ut tanto te noveris a licitis abstinere, quanto memineris illicita perpetrasse. Hoc autem occulte faciendum est.... Licentiose vero facienda est, quia quidquid fit Pastoris licentia, gratiosius est in conspectu Dei; & illam Hostiam singulariter accipit altissimus, quæ non est de propria sententia voluntatis, sed de præcipientis offertur imperio. Multum enim valet ad refellendam superbiam propriæ voluntatis exclusio, quam extirpare non potest qui mundi hujus diligit vanitatem. Discretio autem in hac districtione tenenda est, ne dum nimis flagellare cupimus, salutem perdamus; & dum hostem subigere quærimus, civem occidamus: considera corpus tuum & corporis tui passibilitatem, intuere carnis complexionem, impone modum tuæ districtioni. Custodi corpus tuum incolume ad obsequium Creatoris. Multos vidimus ita in principiis carnem suam verberasse, & discretionis infregisse repagula, ut inhabiles laudum solemniis redderentur, & lautioribus deinceps diuturnis foverentur temporibus. (*Ibid.*)

Correctio fraterna. CXCIII. Vera est enim illa sententia: qui cum emendare possit, negligit, participem se procul dubio constituit. Cum enim causa Dei ventilatur in medium, & falsitas præponitur veritati, qui cum persona quam gerit, non resistit, de suo damnabitur silentio. (*Ibidem.*)

Regulæ obedientiæ. CXCIV. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio prælatorum bona relinquas, vel facias mala. Inter summe vero mala, & summe bona, quædam media sunt ad alterutrum se habentia, & boni, malique nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, & si quæ sunt similia: quæ si Pastoris licentia fiant, summam expectant retributionem. In his igitur mediis subiti & obedientes esse debemus ad nutum præpositorum, nihil interrogantes propter conscientiam: quia in his nullum præfixit opus Deus, sed prælatorum dereliquit imperio disponenda. Non autem te moveat Magister imperitus, indiscreta potestas, sed memento quia non est potestas nisi a Deo, & qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi. Hæc est propria hominis obedientia quam homini debemus, qui homini subditi sumus.

mus. Communis est etiam ista inter Deum & hominem: quia quidquid obedientiæ prælatis exhibetur, ei exhibetur qui dicit: *qui vos audit, me audit*. (*Serm.* 41. *Ibid.*) S. BERNAR.

CXCV. Est fides alia præceptorum, alia signorum, alia promissorum: idest, qua credimus in Deum, qua credimus Deo. Per fidem præceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum, est in eum sperare & eum diligere. Per fidem signorum credimus Deum qui talia potest, & omnia potest. Per fidem promissorum credimus Deo qui quidquid promittit, veraciter complet. Similiter quoque spes est triplex, & procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur spes veniæ: de fide signorum spes gratiæ: de fide promissorum spes gloriæ. Charitas itidem triplex est, de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta; puritatem debemus proximo; conscientiam nobis; fidem Deo; puritas autem est, ut quidquid agitur, aut ad utilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei.... conscientiam bonam faciunt in nobis duo, pœnitentia & continentia, quando scilicet per pœnitentiam peccata commissa punimus, & per continentiam deinceps punienda non committimus, & hanc debemus nobis. Post hæc superest fides non ficta, quæ Deo vigilanter exhibenda est, ut nec propter proximum, cui nos impendimus, offendamus Deum: nec propter conscientiam, quam per pœnitentiam & continentiam in humilitate custodire volumus, minus exequamur mandatorum Dei obedientiam; & hæc est fides non ficta: non ficta autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei & fictæ. Mortua fides est quæ sine operibus est: fides ficta quæ ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit; unde etiam ficta, id est, fragilis dicitur. (*Serm.* 45. *Ibid.*) Triplex Fides, Spes, & Charitas.

CXCVI. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare*. Descendamus per viam humilitatis; ponaturque nobis primus ejus gradus, id est, primus profectus, nolle dominari; secundus velle subjici; tertius in ipsa subjectione quaslibet contumelias & injurias illatas æquanimiter pati. (*Serm.* 60. *Ibid.*) Tres gradus humilitatis.

CXCVII. Quidam sunt qui non sequuntur Christum, sed fugiunt. Alii non sequuntur, sed præeunt. Nonnulli sequuntur, sed non assequuntur. Alii vero sequuntur & consequuntur. Non sequuntur, sed fugiunt, qui necdum peccare desistunt.... non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententiis suas præferunt, quorum imaginem tenebat Petrus, cum pro salute nostra volentem pati Dominum increparet dicens: *absit a te, Domine, non erit tibi hoc:* sequuntur, sed non assequuntur, qui segniter ac remisse agunt, vel usque ad finem non perseverantes, de medio itinere revertuntur.... Sequuntur & consequuntur, qui viam humilitatis ejus devoto mentis affectu perseveranter imitantur. (*Serm.* 62. *Ibidem.*) Vera Christi sequela.

CXCVIII. *Me expectant justi, donec retribuas mihi*. Et item. *Me expectaverunt peccatores, ut perderent me*. Hinc mihi gehenna, inde Insensibilitas periculosa.

[redacted] inde corona paratur: & inter hanc atque illam medium nugari libet, oscitare delectat? usque adeo nec trahor desiderio, nec periculo terreor, nec cupidus plane, nec pavidus, in quibus magis fuerat necessarium. Perniciosissime insensibilis ad utrumque. (*Serm.* 70. *Ibid.*)

S. BERNAR.

Ad mortem non differenda Pœnitentia. CXCIX. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, id est qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deferantur a peccatis antequam deserant ea, non magna talium conventicula congregabo. Si bene memini, in toto canone scripturarum unum latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. (*Serm.* 75. *Ibid.*)

Trinæ gratiæ necessitas. CC. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Triplex nobis necessaria est benedictio, præveniens, adjuvans & consummans. Prima misericordiæ; secunda gratiæ; tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem: nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra nostra fructum salutis. (*Serm.* 76. *Ibid.*)

Laudes humanæ fugiendæ. CCI. *Mel invenisti? noli multum comedere, ne forte satiatus evomas illud*. Potest non incongrue hoc loco, mellis nomine, favor humanæ laudis intelligi. Meritoque non ab omni, sed immoderato mellis hujus edulio prohibemur. Est enim cum utiliter humanas laudes recipimus, fraternæ dunraxat intuitu charitatis, & ad salutem eorum qui nobis propterea facilius acquiescunt. Hac ergo parcitate servata, mellis hujus moderata comestio non nocebit. Si quid vero amplius est, a malo est, & in perniciem convertetur. (*Serm.* 83. *Ibid.*)

Sermones in Cantica Canticorum.

Pœnitentia humilis. CCII. Tanto minus vile divinis apparebit conspectibus *cor contritum*, quanto plus sibi illa *anima peccatrix* viluerit in recordatione peccatorum suorum. (*Serm.* 10. *in Cant. Cant.*)

Memoria criminum & divinarum miserationum. CCIII. Suadeo vobis reflectere interdum pedem a molesta & anxia recordatione viarum vestrarum, & evadere in itinera planiora sereniorіs memoriæ beneficiorum Dei, ut qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis. Volo vos experiri illud quod Sanctus Propheta consulit dicens: *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Et quidem necessarius dolor pro peccatis, sed si non sit continuus. Sane interpoletur lætiori recordatione divinæ beneficentiæ, ne forte præ tristitia induretur cor, & desperatione plus pereat. Misceamus absinthio mel, ut salubris amaritudo salutem tunc dare possit, cum immixto temperata dulcore bibi poterit. (*Serm.* 11. *Ibid.*)

Amor cum Spe. CCIV. Duo ergo illa sunt in opere redemptionis, *modus & fructus*. Et modus quidem Dei exinanitio est, fructus vero, nostri de illo repletio. Hoc meditari, sanctæ spei seminarium est, illud sum-

summi amoris incentivum. Utrumque profectibus nostris necessarium, ne aut spes mercenaria sit, si amore non comitetur, aut amor tepescat, si infructuosus putetur. (*Ibid.*) S. BERNAR.

CCV. Quis digne penset quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed dicit aliquis, non valuit opus suum reparare Creator absque illa difficultate? Valuit, sed maluit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis ultra occasionem reperiret in homine. Sane multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret; commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse devotum fecerat conditionis facilitas. (*Ibid.*) Contra ingrati animi vitium.

CCVI. Fratres, revereamur Episcopos, sed vereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores. Agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles & fœmineos humeros virorum supponere sarcinis, nec observemus eos, sed honoremus. (*Ibid.*) Reverentia debita Episcopis.

CCVII. Magna & rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare; hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. (*Serm.* 13. *Ibid.*) Rara virtus humilitas honorata.

CCVIII. Nemo vestrum velit laudari in hac vita; quia quidquid hic favoris captas quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim unde gloria, putide pulvis, tibi unde? de vitæ sanctitate? sed spiritus est qui sanctificat, spiritus dico, non tuus, sed Dei. Et si prodigiis aut signis effulgeas, in manu tua fiunt; sed virtute Dei. An blanditur popularis favor quod verbum bonum & forte bene depromseris? Sed Christus donavit os & sapientiam. Nam lingua tua quid nisi calamus Scribæ? & hoc ipsum mutuo accepisti talentum, creditum est, repetendum cum usura. Si inventus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies. Si quominus tolletur a te talentum, & nihilominus exigetur lucrum, & vocaberis servus nequam & piger. Omnibus igitur de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus, laudabilium siquidem universorum authorem & largitorem. (*Ibid.*) Soli Deo gloria.

CCIX. Ecce Christus, ecce Jesus, utrumque infusum Angelis, utrumque effusum in homines, & illos homines qui computruerant tanquam jumenta in stercore suo, homines & juventa salvans, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam Deus. Quam carum, quam vile! Vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur. Si salubre non esset, non me lucraretur. Particeps nominis sum, sum & hæreditatis; Christianus sum, frater Christi sum. Si sum quod dico, hæres sum Dei, cohæres autem Christi. Et quid mirum si sponsi effusum est nomen, cum ipse quoque effusus sit? nam semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Nam Nominis Jesu effusio.

deni-

S. BERNAR. denique ait, *sicut aqua effusus sum*. Effusa est plenitudo divinitatis, habitans super terram corporaliter, ut de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vitali odore repleti, diceremus; *oleum effusum nomen tuum*. (*Serm.* 15. *Ibidem*.

Ejus miri effectus. CCX. Non tantum lux est nomen Jesu, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? quid æque mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus: virtutes roborat; vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi ibi legero Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Jesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperandum? nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?.... cui in adversis diffidenti, jam jamque deficienti, si nomen adjutoris sonuit, defuit fortitudo? nimirum morbi & languores animæ isti sunt, illud medicina. Denique & probare licet. *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*. Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat; sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. (*Ibid.*)

Si non amor invitat, timor terreat. CCXI. Quod si segnior forte suas partes minus exequitur pudor, timor sane excitetur in adjutorium. Excitetur ut excitet. Sepone parum pia vocabula benefactoris & Patris, atque ad austeriora convertere. Nempe qui legitur Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, legitur nihilominus Deus ultionum Dominus. Legitur Deus judex justus & fortis. Legitur terribilis in consiliis super filios hominum. Legitur Deus zelans. Quod pater est, quod beneficus est, tibi est, quod Dominus ac Creator, sibi. Etenim propter semetipsum fecit omnia, teste scriptura. Qui ergo quod tuum est tibi defendit & servat; putas & pro se aliquando non zelabit, putas sui non requiret principatus honorem? (*Serm.* 16. *Ibidem*.)

Falsa humilitas periculosa. CCXII. Est confessio eo periculosius noxia, quo subtilius vana, cum ipsa etiam inhonesta & turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles sumus, sed ut esse putemur. Appetere autem de humilitate laudem, humilitatis est non virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui. Hoc solo sane superbus, quod laudes contemnit. (*Ibid.*)

Prius concha, quam canalis. CCXIII. Quod tuum est spargis, & perdis, si prius quam infundaris, tu totus semiplenus festines effundere,.... si sapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic siquidem pene simul recipit

cipit & refundit. Illa vero donec impleatur expectat; & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriorem. (*Serm.* 18. *Ibid.*) S. BERNAR.

CCXIV. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit, & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Denique quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? propter temetipsum Deus fecisti omnia; & qui vult esse sibi & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. (*Serm.* 20. *Ibid.*) Soli Deo vivendum.

CCXV. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus, nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. (*Ibidem.*) Veri zeli conditiones.

CCXVI. *Trahe me post te: in odorem unguentorum tuorum curremus*: Quid? Sponsa ne ergo necesse habet trahi, & hoc post Sponsum? quasi vero invita eum & non libens sequatur. Sed non omnis qui trahitur, invitus trahitur: nec enim infirmum, aut debilem, eum videlicet qui per se ire non valet trahi ad balneum seu prandium piget, etsi eum pigeat trahi ad judicium vel ad poenam. Denique trahi vult quæ & ipsa rogat hoc. Non autem rogaret, si sequi per seipsam dilectum, prout vellet, valeret. (*Serm.* 21. *Ibid.*) Cupit sponsa trahi & cur.

CCXVII. In die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta, & dic: *cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*. Porro in tempore tentationis consolare, & dic cum sponsa: *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus*. Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono providentia deerit, erisque inter adversa & prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem & inconcussam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore. (*Ibid.*) Spes non deserenda.

CCXVIII. Audiant hoc Prælati qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini qui judicatis terram. Discite subditorum matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari quam metui. Et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? cur morsus a serpente parvulus, fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? si spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans unusquisque seipsum, ne & ipse tentetur. Alioquin ille in peccato suo morietur; sanguinem autem ejus, ait, de manu tua requiram. (*Serm.* 29. *Ibid.*) Prælatorum officia erga subditos.

CCXIX. Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis Clerici bonis Ecclesiæ non abutantur.

quæ

S. BERNAR. quæ sufficere debeant minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant: & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur. (*Ibid.*)

Detractionis malignitas. CCXX. Omnis qui detrahit.... seipsum prodit vacuum charitate: deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus qui se audiunt, lingua maledica: & quantum in se est, necat funditus & extinguit: non solum autem, sed & in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos, qui præsentes sunt, pervenire contigerit. (*Serm.* 24. *Ibid.*)

Vita æterna vel martyrio vel mortificatione obtinenda. CCXXI. Et quidem prudentius animam perdis ut custodias, quam custodis ut perdas. *Nam qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Quid hic vos dicitis ciborum observatores, morum neglectores? Hippocrates & sequaces ejus docent animas salvas facere in hoc mundo: Christus & ejus discipuli perdere.... Qui amat animam suam perdet eam, dixit, sive ponendo ut Martyr, sive affligendo ut pœnitens. Quanquam genus Martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. (*Serm.* 30. *Ibidem.*)

IN-

INDEX GENERALIS

RERUM ET VERBORUM,

QUÆ IN TOTO OPERE CONTINENTUR.

Numerus Romanus Tomum, Arabicus Paginam, Litera N. Notam designant.

A

Abra-

B

C

Clau-

Con-

D

De-

So-

E

 rum

F

G

Gui-

H

S. *Hie-*

I

Infir-

Cur

L

Lan-

M

Mela-

Mons

N

O

Ora-

Osius

P

cæ,

S

Sama-

Simon

Tran-

V

Volu-

X

Z

F I N I S.

ERRATA		CORRIGE
T. I.	*p.* 17. *lin.* 34. ſui temporis	ſuo tempore poſteriores.
T. IV.	*p.* 242 *lin.* 7. in marg. Curra	Cura
	p. 245. *lin.* 42. in marg. expectandas	expectandæ
T. VI.	*p.* 120. *lin.* 13. Moyſem.	S. Paulum
	p. 283. *lin.* 30. cerullam	cervulam
T. VII.	*p.* 181. *lin.* 4. homilia 15.	homilia 40.
	p. 217. *lin.* 5. incluſa	incluſum
T. VIII.	*p.* 17. *lin.* 13. ab inſipientibus	ab inſipientium